
3 1761 07032621 0

Aurelius Augustinus

Hipponensis

Sacræ Scripturæ Interpres.

Scripsit

Henricus Nicolaus Clausen,

Philos. et Theol. Dr. hujusque Prof. Publ. Extraord.
in Univers. Haunicnsi.

HAUNIÆ.

Typis expressit Director *Janus Hostrup Schultz,*
Aulæ Regiæ et Universitatis Typographus.

MDCCCXXVII.


OXFORD

Conspectus Argumenti.

Sectio Prima.

De Eruditione Augustini, Interpreti Sacræ Scripturæ Necessaria.

Sectio Secunda.

Augustini De Ratione Interpretationis S. Scripturæ Consilia, Præcepta, Regulæ.

Sectio Tertia.

Exegesis Augustini Selectis Exemplis Illustrata et Æstimata.

PROOEMIUM.

Inter antiquos ecclesiæ doctores, quos pio nomine patrum salutare solemus, quos doctrinæ christianæ interpretes et explanatores, fidei confessores et martyres, pietatis vindices et exempla, litterarum sacrarum auctores et patronos animo pio grataque memoria colimus et veneramur, nemo est qui tanta famæ celebritate inclaruit, quanta *Aurelius Augustinus*, episcopus Hipponensis, natus a. 354 Tagaste oppido Numidiæ, mortuus a. 430, fatis et vicissitudinibus vitæ non minus quam ingenii dotibus librorumque scriptorum copia et indole interna memorabilis. Quem laudibus viri docti antiqui et recentioris ævi, ecclesiæ catholicæ et evangelicæ, tam largis manibus cumularunt, ut quicquid magnifice de natura humana dici possit in eum contulerint, non solum principem eum omnium, quotquot fuere ecclesiæ lumina et columnæ, declarantes, sed proximum etiam apostolis, ne dicam parem et æqualem. [1])

[1]) *Hieron.* Ep. (in opp. Aug. 172): "Certe quicquid dici potest, et sublimi ingenio de scripturarum ss. hauriri fontibus, a te positum atque dissertum est." *Gennad.* illustrium virorum catalogus: "vir eruditione divina et humana orbi clarus, fide integer et vita purus, scripsit quanta neque inveniri possunt." *Cassiodor.* de institut. div. litt. c. 22: "doctor eximius, debellator hæreticorum, defensor fidelium et famosorum palma certaminum — cujus aperta suavia sunt,

Neque hæc fuit — ut esse solet — vana verborum titulorumque profusio, quid! quod omni nominis celebratione major viri auctoritas fuit; constat enim inter omnes, opera Augustini ita existimata esse certam et

---

obscura vero magnis utilitatibus farcita pinguescunt." *Ap. Victor Vitensem* de persecut. Vandal. Chron. p. 113: "flumen eloquentiæ sacerdotum gloria, doctorum magister, lux mundi, magnus verbi divini præco, magnus doctrinæ sol, unicus sapientiæ phoenix" cet. *Gregor. M.* Ep. ad Innocent. 37: "Se delicioso cupitis pabulo saginari, b. Augustini opuscula legite, et ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quæratis." *Sixtus Senens.* (ap. Oudin. comm. de scriptor. eccl. ant. I. p. 932): "doctor super omnes, qui ante eum et post eum hucusque fuerunt mortales, admirabili ingenii acumine præditus, omnibus liberalibus disciplinis instructus, in div. scripturis longe omnium eruditissimus, et in earum explanatione ultra quam dici queat incomparabili subtilitate sublimis." *Hincmar.* opusc. c. 28: "doctor famosissimus atque ab apostolica sede receptissimus." *Anselm.* Monolog. c. 68 disp. 113, sect. 2 n. 33: "in eccl. celeberrimum doctorem, miraculum sui ævi et reliquornm." *Bernhard. Clarov.* Ep. 229 n. 13: "maximus post apostolos ecclesiarum instructor." Ser. 80 n. 7: "validissimus malleus hæreticorum." *Erasm.* præf. ad Opp. Aug. (ep. ad Fonsec. archiep. Tolet.): "ingenii felicitas prorsus erat incomparabilis, sive acumen spectes, vel obscurissima facile penetrans, sive capacis memoriæ fidem, sive vim quandam mentis indefatigabilem." *Martyrolog. Rom.* ad d. V Kal. Sept.: "ecclesiæ doctor eximius . . . cath. fidem adv. Manichæos aliosque hæreticos acerrimus propugnator defendit, multisque aliis pro ecclesia Dei perfunctus laboribus, ad præmia migravit in coelum."

Luther Schr. von d. Conc. u. Kirch. (Walch. XVI. S. 2637 f.): "Will auch nicht leuten noch zu leiden seyn, dasz S. Aug. nicht sollte für der besten Väter einen gehalten werden, dieweil er in der ganzen Chri-

plenam veritatis normam continere, ut eorum testimoniis aperte contradicere ne majestas quidem pontificis romani ausa sit; — effata ejus inter scholarum subsellia tanti habita fuisse, ut theologis medii ævi nihil nobilius visum sit quam commentarios in sententias ejus componere, nihil gloriosius quam cum illis amice conspirare, nihil vero turpius quam ejus oraculis profligari jugularique; [2]) — de-

stenheit für den höchsten geacht, u. beide Schulen u. Kirchen bisher zum besten erhalten hat, wie am Tage ist." Tischreden Cap. 30: "Aug. gefällt mir für allen andern Lehrern, denn er ist ein groszer, trefflicher Doctor u. alles Lobens werth — hat rechtschaffen u. rein gelehret — ist in der h. Schrift gewaltig, u. hat ein fein Judicium u. Verstand von den Sachen — ist unter Allen der erste, tapferste u. reinste." *Melanchth.* Comm. in Ep. ad Rom. c. 14: "Aug. sua ætate doctrinam evangelii de gratia et fide pæne exstinctam restituit et rursus accendit; propter hoc beneficium ecclesia plurimum ei debet." *Olearii* bibl. scriptt. eccl. p. 71: "eruditione, virtute et vigilantia lumen ecclesiæ vix comparabile, hæreticorum malleus, ethnicismi depopulator acerrimus." *Dupin* nova bibl. auctt. eccles. III. p. 495 s.: "vir erat vastissimo, exquisitissimo et sagacissimo ingenio." *Tiedemann* Geist d. specul. Philos. III. S. 455: "Unter allen Kirchenvätern und christlich. Schriftstellern bis ins 4te Jahrh. ist ohne Zweifel Aug. der einzige, welcher ächt philosophischen u. einen tief eindringenden Blick besasz, und der auch bey allen Gegenständen der Offenbahrung unabläszig philosophirte." *Buhle* Gesch. d. Philos. IV. S. 463. Cf. *Oelrichs* Comm. de scriptt. eccl. lat. p. 250, Not.

2) Cf. *Brucker* hist. crit. philos. III. p. 568: "libelli Aug. (principia Dialect. categoriæ X?) hermathenæ instar philosophantibus commendati et publicis lectionibus in scholis explicati sunt, ita ut præstantior inter libros philosophicos auctor haberetur nemo." *Dupin* nova bibl.

nique, illam theologiæ dogmaticæ compagem; quæ magna artis subtilitate magnoque eruditionis apparatu sensim sensimque in ecclesiæ scholis confecta est, ita sententiis Augustini niti, ut in multis doctrinæ capitibus alia certe, si opera ejus defuissent, theologiæ nostræ indoles et facies exstitisset.

De tali vero tantoque viro, qui ecclesiæ et doctrinæ annalibus magis quam hominum testimoniis celebrari videtur, ita disputare, ut opera ejus et merita judicii trutina explorentur, non modo inutile et superfluum videri posset, sed etiam ab immodestia non adeo procul remotum. Verum enimvero, ut hoc *primum* moneam: laudes non secus ac vituperia in consvetudinem male et perperam sæpius abire, ut, si quid semel honorifice dictum fuerit, centies et ultra repetatur ab iis, qui, quid dicent quove jure, nesciunt ipsi; id quod Augustino ne nostris potissimum diebus non semel acciderit, admodum vereor; sunt enim, qui, in laudando ut in vituperando nimii,

auctt. eccles. III. p. 496: "Latini nil sæpius egerunt aliud, quam Aug. pure pute exscribere; ejus in concipiendis efferendisque decisionibus atque decretis voces adhibuere deinceps concilia; duodecimo tandem seculo universæ theologiæ compendium conscripturus Lombardus, hoc se egregie præstiturum existimavit, si ex universis Aug. Scriptis quosdam exscriberet locos, eosque in certum ordinem digereret." *Rosenmüller* hist. interpretat. ll. sacr. (III. p. 398): "per omnia deinceps secula a plerisque pro magno ecclesiæ ornamento et fere pro oraculo habitus est, et libri ejus summo plausu excepti et ad posteros propagati sunt." Defloratores vel commentatores operum Augustini enumerantur in *Oudini* Comm. in Scriptt. eccl. ant. I. p. 990-93. *Schoenemanni* bibl. hist. litt. patr. latin. II. p. 357-63.

non tam admiratores quam adoratores magni viri esse videantur, quem ex mortalium numero eximere cupiant nomenque coelo inscribere, unicum eum et divinum vocantes; in rebus philosophicis autem poeticas loquendi figuras adhibere, eorum esse solet, qui famam rei et viri potius quam rem et virum cognoscunt; quum, ut quisque rerum hominumque peritissimus est, ita in utramque partem modum servare soleat. *Deinde* vero, ex quo litteras sacras liberiore animo colere coeptum est, theologi multi, iique eruditionis, pietatis, justitiæ laude omnibus probati, dithyrambicas laudatorum voces — ita viri non secus ac libri fata sua habent — temperare conati sunt, monentes, ex virtutibus, quæ theologum faciant, multas Nostro defuisse, neque raro ex cognitionibus ejus justo minoribus nimioque affectuum ardore veritatem christianam et ecclesiæ salutem detrimentum cepisse. [3]) Neque difficile admodum erit illam ju-

---

[3]) *Richard Simon* hist. crit. du V. T. III. 9: "Il a très bien remarqué les qualités nécessaires pour bien interpreter l'écriture, et comme il étoit modeste, il a avoué librement, que la plupart de ces qualités lui manquoient, et partant on ne doit par s'étonner, si l'on trouve quelque fois peu d'exactitude dans ses commentaires sur l'écriture." (Cf. *Bayle* dict. hist. et crit. art. Augustin: "Un savant critique françois a beau se servir de termes respectueux, on ne laisse pas de connoître, qu'il meprise de tout son coeur les commentaires de St. Aug. sur l'écriture)." *Brucker* hist. philos. crit. III. p. 506: "Non diffitendum est, rationalis artis regulas, quamvis eas scriptis commendavit A., sæpe illum neglexisse; id quod non miramur in hoc viro, licet acri judicio magnaque ingenii vi prædito, qui magnam vitæ partem in quærenda tantum frustra veritate consumsit."

diciorum diversitatem componere, siquidem quod uno quasi ore, una voce omnes in eo laudarunt et laudant, insignis est ingenii profunditas, subtilitas et acumen, insigne fidei et pietatis studium, insignis

---

Semler (Gesch. d. chr. Glaubensl. in Baumgartens Untersuch. theol. Streitigk. III. S. 302: "A. hat zuerst. u. vornehmlich die ihm gelaüfigen Gedanken u. Einfälle so in die chr. Lehre gemischt, dasz aller Nachtheil, der auf Rechnung der Scholasticorum geschrieben wird, alle Unterlassung des guten Gebrauchs der h. Schrift, aller Einfluss des præjudicii auctoritatis blosz von ihm herrührt (?)." *Mosheim* Institt. Hist. Eccl. p. 145: "Multa certe in eo fuerunt magna et egregia, ingenium excellens, constans veri studium, admirabilis laborum patientia, pietas haud dubia, subtilitas etiam et acumen minime contemnendum; sed non æque magna fuit judicandi vis, plusque sæpe in viro eximio naturæ quidam ardor potuit, quam ratio et prudentia." *Schröckh* chr. Kirchengesch. XV S. 523 ff.: "Es ist noch erlaubt zu fragen: ob Aug. der Religion, Kirche u. theolog. Gelehrsamkeit mehr genützt oder geschadet habe? — Die groszen Wahrheiten des Christenthums hat er zwar eifrig empfohlen u. angewandt, dagegen auch zum Theil in seinen Vorstellungskreis eingeschränkt, mit willkührlichen Zusätzen vermehrt, und diejenigen seiner Meinungen, die er aus Sprachunwissenheit in die Bibel hineintrug, weil er ihrer zur Widerlegung der Ketzer bedurfte, den Christen als schriftmäszige Glaubenslehren aufgedrungen. Wie er die Glaubenslehre mit einem Schwall von Spitzfindigkeiten überhaüft hat, so hat er oft die Sittenlehre nur alt Casuist behandelt, und bey Ermangelung fester Grundsätze durch die seltsamsten Behauptungen verunstaltet." *Meyer* Gesch. d. Schrifterklär. I. S. 55: "Aug. suchte durch seine Speculation, die einmal für gewisse dogm. Sätze Parthey genommen hatte, das zu ersetzen, was im an exeget. Gelehrsamkeit abging, — und das, was etwa in seinen Grundsätzen über die Schrifterklärung brauchbar seyn

animi et linguæ fervor; quæ quidem omnia ita concedi possunt, ut multæ fortasse defuerint ei virtutes non minus necessariæ, idonea doctrinæ copia, justa judicii sobrietas et temperantia sui, quæ quod nimium est sapienter fugit. In hac vero tanta animorum fluctuatione quid indignius quam levi quacunque et mobili aura huc illuc jactari; nobis igitur ut verius et certius judicium de meritis Augustini theologicis constet, nescio annon diligenter ante omnia nobis inquirendum sit, quasnam sibi in interpretatione librorum sacrorum regulas et leges scripserit, et quonam cum successu, quas aliis præcepit, ipse secutus sit; quoniam certum est, in theologo boni et idonei sacrarum litterarum interpretis laudem omnium ita primam et præcipuam esse, ut sine ea nemo laudari debeat, neque minus certum, ut hoc munus bene geratur, ut nihil, quod a mente scriptorum alienum

---

mag, war nicht hinreichend um den Nachtheil zu ersetzen, der durch seinen Hang zu allegor. u. mystischen Deutungen wie durch seine Dogmatik u. Polemik bewirkt ward." *Rosenmüller* Hist. interpretat. ll. sacr. III. p. 501 s.: "Laudari solet in Aug. vis ingenii et acumen philosophicum — sed pleraque ejus principia sunt falsissima, nec S. Scr. nec sanæ rationi consentanea; — talis quum fuerit A., nobis quidem sine omni suo merito (?) consecutus esse videtur eam nominis celebritatem et auctoritatem, qua per omnia deinceps secula floruit." *Wiggers* (Darstell. d. Augustin. u. Pelagian. p. S. 31 ff.: "A. hatte mehr Geist als Gelehrsamkeit, mehr Witz u. Scharfsinn als gründliche Wissenschaft; seine schwächste Seite als Gelehrter waren aber Sprachkenntnisse; — daher gründen sich seine Argumentationen aus den heil. BB. sehr oft auf unrichtige Interpretation."

est, litteris inferatur, nihil, quod iis expressum, negligatur, rarum et eximium requiri earum virtutum consensum, qui theologum egregie ornet.

Animo igitur lubentissimo laborem, quem a nemine antea susceptum vidi,[4]) pro virium modo tractandum mihi sumsi, hanc mihi rationem eligens, quam ipsa rei natura suadere videbatur, ut *primum* de doctis præsidiis agam, quibus instructus Augustinus opus interpretandi aggressus fuerit, *deinde* principia et regulas rei hermeneuticæ, ex libris ejus decerptas, succincta narratione exponam, subjuncta identidem crisi, *denique*, exemplis ex commentariis selectis, ostendam, quibus præsertim virtutibus, quibus defectibus exegesis Augustiniana notabilis sit.

---

4) Observationes bonæ et utiles de singulis Augustini libris reperiuntur in *Rich. Simon* hist. crit. des principaux comm. du N. T. c. 17-20, Schröckhs christl. Kirchengesch. XV. S. 266-496, inque Rosenmülleri hist. interpretat. libb. ss. III. p. 411-499.

SECTIO PRIMA.

De eruditione Augustini, interpreti librorum sacrorum necessaria.

Qui Augustinum ab omni parte perfectum sistere voluerunt, vastam et immensam doctrinæ copiam non cessarunt laudibus decantare, qua omnes suæ ætatis viros eum miro modo superasse ferunt *). Quorum testimonia ut suspecta fiant, sufficiat monere, annos juventutis, inter libidinum impuritates transactos, (Confess. I. 14-16. II. 2-9. III. 1. 16. IV. 1.) profundiori litterarum studio non favere, sufficiat exemplum Hieronymi opponere, quem cognitionum ambitu et multitudine omnes seculorum illorum patres obscurasse, nemo ignorat, neque Augustinus ipse fateri dubitavit (Ep. ad Hier. 73 n. 5).

*) Ita *Lutherus*, qui nimius certe Augustini laudator dicendus est: "aus eigener Erfahrung kann ich sicher behaupten: nächst der h. Schrift sey kein Lehrer in der Kirche, der ihm an christl. Gelehrsamkeit zu vergleichen sey; wenn man alle mit einander zusammen nimmt, so wird man in allen zusammen nicht die Hälfte so viel als in dem einzigen Aug. finden." *Cave* Script. eccl. hist. litt. p. 187 a: "de omnigena ejus eruditione pluribus agere, idem esset ac lucem soli offundere; hospes sit oportet tum in ejus tum in aliorum scriptis, qui nesciat, Aug. in toto meliorum litterarum circulo eminere, in quæstionibus vero theologicis primas tenere."

Accuratius autem quæ contra veritatem manifestam dicta sunt ponderare, neque operæ pretium est, neque etiam ratio instituti nostri patitur; hîc enim non de tota cognitionum copia in rebus historicis aut philosophicis quæritur vel quæri potest — quorum nulla certe suo usu fructuque interpreti caret, — sed de iis, quæ in eo desiderari nullo modo possunt, linguæ hebrææ et græcæ cognitione deque critico codicum et versionum usu. Verum hoc certe jure nostro contendimus, ex iis, quæ de eruditione sacra (s. v. v.) disputabuntur, aliquid de doctrinæ Augustini finibus et copia in universum colligi ac statui posse,

De peritia Augustini linguæ hebrææ.

I.

Quærentibus, quænam fuerit Augustino *linguæ Hebrææ peritia*, primum locus in libris ejus succurrit, quo ipse ignorantiam suam aperte his verbis professus est: "si hebræa voce loqueretur (Moses)" — sunt verba in Confess. XI. 5 — "frustra pulsaret sensum meum, neque inde mentem meam quidquam tangeret; si autem latine, scirem quid diceret"; accedit, quod alio loco (de doctr. chr. II. 23) sermonem Hebræorum "linguam incognitam" dixit. Neque hoc eum vel ex nimia modestia vel hyperbolice dixisse, commentarii in quavis fere pagella docent, in quibus, ut certiores se aliosque faciat de nominum hebræorum vi et significatione, ad virorum auctoritatem confugere solet, quos, litterarum divinarum studiosos et peritos, non mediocriter monet de posteris eo meruisse, quod vocabulorum hebræorum interpretationem græcam vel lati-

nam dederint, ut et ipse habeat, unde intellectum qualemcunque hauriat [6]). Hocce vero alienæ eruditionis præsidio ubi destitutum eum sibique relictum habemus, ita eum timidum et fluctuantem invenimus, ut in verbis et formulis, neque iis omnibus generis exquisitioris et obscurioris [7]), sed quæ primis etiam tironibus familiares sunt [8]), explicandis æstimandisque dubius et suspensus hæreat; sicubi autem in solo lubrico pedes proferre audet, mox

6) de doctr. chr. II. 23. de cons. Evang. II. 157. de Gen. ad litt. XI. 4. Enarr. in Ps. 7 n. 1. 33 n. 4. 38 n. 1. 52 n. 1. 67 n. 24. 98 n. 3. 119 n. 7. 131 n. 11. 132 n. 11. 141 n. 25. Serm. 218 n. 13. de Gen. c. Manich. II. 35. c. Faust. II. 52.

7) Locutt. de Exod. (ad 2, 3): "quid sit *θίβιν* (תבה) ideo difficile est nosse, quia nec gr. interpres ex Hebræo, nec Latinus ex Græco vertit hoc nomen, sed transtulit ut invenit." (Non observavit igitur A., de navigio Noachi (Gen. 6, 14) idem nomen hebr. occurrere, ibique a LXX verti "*κιβωτὸς*", in vulg. autem "arca"; etiam vero in loco Exodi nunc certe in Vulg. vocab. latinum adest "fiscella)." — Annot. in Job. (vol. III. p. 499): "si tamen Mazuroth (מזּרות ɔ: constellationes Zodiaci) sidus est, quod interpretatum nec in gr. lingua invenimus, nam hebr. esse nomen satis apparet."

8) de serm. in monte I. 23: de voce *ῥακά*: "probabilius (quam etymologiam ex gr. *ῥάκος*, pannus) est, quod audivi a quodam Hebræo; dixit enim, esse vocem non significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem." cf. de doctr. chr. II. 16. — In Joh. tract. 51 n. 2: "vox obsecrantis est *Hosianna*, sicut nonnulli dicunt, qui hebr. linguam noverunt, magis affectum indicans, quam rem aliquam significans." — De serm. in monte II. 47: "*Mammona* apud Hebræos divitiæ appellari *dicuntur*." — De civ. D. XV. 23 (in Ps. 81, 6): "quamvis hoc in Hebr. *perhibeatur esse* ambiguum, ut et filii Dei et filii Deorum possit interpretari."

eum in errores delabi videmus, qui extremam arguunt linguæ imperitiam 9).

Unum tamen erat Augustino hujus linguæ præsidium, quod ipse patriæ et sedis episcopalis situs ultro offerebat: *linguæ Punicæ notitia*; quam, ex oris Phöniciæ in Africam delatam et sororio adeo vinculo cum sermone Hebræorum junctam, huic non parum lucis affundere potuisse, monuerunt viri, qui harum rerum arbitri sunt, iidem dolentes, quod litterarum illarum copia tantum non omnis temporum injuria periit [10]. Utramque vero linguam affinem sibi et vicinam esse neque multum inter se differre, ut multa etiam verba Poenis cum Hebræis communia sint, sæpius Noster testatus est [11]; neque exempla omisit: scilicet *Messiam* et *Mammona* vocabula esse Poenis usu recepta [12] — בַּעַל punice

9) Quæst. in Gen. I. 58, ubi verba Genes. 19, 24: "pluit Dominus a Domino", neglecto usu loquendi hebr., explicantur de Filio pluviam demittente a Patre. Enarr. in Ps. 52 (53), cujus inscriptio עַל־מַחֲלַת (instrum. aliquod musicum) vertitur, contra auctoritatem LXX et Vulg. "pro parturiente s. dolente" (r. חוּל). Enarr. in Ps. 87 (88), in quo eadem tituli verba legens "pro melech", addit explicationem: "pro choro, *melech* enim verbo hebr. *chorus* significatur."

10) *Bochartus*: Phaleg. p. 776 ss. 847. *Bellermann* de Phönicum et Poenorum inscriptt. *Gesenius* Gesch. der hebr. Sprache p. 223 ff. *Hartmann* linguist. Einl. ins A. T. p. 9 ff.

11) Locutt. de Gen. I. 24. Quæst. in lib. Judic. I. 7. init. In Joh. tract. 15 n. 27. Serm. 113 n. 2. Contr. Petill. II. 239: "consonum est, sicut alia permulta hebræa et tantumnon omnia."

12) In Joh. tract. 15 n. 27. De serm. in monte II. 47. Serm. 113 n. 2.

quoque *Dominum* esse — hebr. שָׁמַיִם respondere punico *Schamen* [13]) — Edom punice *sanguinem* indicare [14]), (imo particulam græcam ἄρα sono non minus quam notione convenire cum vocabulo punico "iar") [15]); hoc vero præsidium, quod nobis deesse ægre utique ferendum est, Augustino parum attulisse utilitatis, non mirabitur certe, qui perpendat, notitiam linguæ cognatæ, qua studia recte inchoata et accurate instituta egregie adjuventur, inutilem jacere, ubi idoneum cognitionis fundamentum deest. Iste vero, quum luce necessaria ita destitutus esset, ut ad textum hebræum recurrere omnino non posset, in usu versionis alexandrinæ et ipse substitit et subsistendum esse aliis vehementer persuasit. De hoc vero quum suo loco infra videbimus, sufficiat hic ad epistolas provocare, quas Hieronymo missas legimus; in quibus, auctoritati septuag. interpretum temere confisus, negat etiam credibile esse, inveniri aliquid in exemplaribus hebræis, quod tot interpretes illius linguæ peritissimos fugerit (Ep. 28); quare laborem ab Hieronymo inchoatum — laude si quis unquam et honore immortali dignum —, libros V. T. canonicos ex sermone hebræo denuo vertendi, admodum improbat ideo inprimis, quod, si qua forte lectoribus oborta esset suspicio erroris in vertendo commissi, vix et ne vix quidem futurum esse existimat, qui volumi-

---

[13]) Quæst. in lib. Judic. VII init.
[14]) Enarr. in Ps. 136 n. 18.
[15]) Enarr. in Ps. 123 n. 8.

na hebræa consultum adire possit (Ep. 71) [16]; neque nisi postea adductus est, ut utilitatem versionis Hieronymianæ admitteret (Ep. 82).

II.

Magnam operam in *nominibus Hebræorum propriis* interpretandis illustrandisque *Philonem* quondam et deinde, supplementum addendi causa, *Origenem* collocasse, ex *Hieronymo* constat [17]; qui ipse etiam, quæ duumviri illi ex traditionibus incertis vel ex ingenii arbitrio magis quam ex idoneis linguæ rationibus posuerant, retractanda et emendanda sibi sumsit in libro, cui titulus "de interpretatione nominum hebraicorum" (Opp. ed. Bened. a Congreg. S. Mauri t. II. p. 2-84). Neque hîc Augustinus muneri suo deesse voluit, eoque minus credo, quod campum latissimum hic apertum sibi videbat in allegoriarum lusus excurrendi. Quamquam vero in hoc etiam labore aliis ducibus totum se committere debuit, non licebat tamen ea, quæ aliunde offerebantur, temere arripere, quum esset omnino in diversis interpretationibus conferendis explorandisque judicium adhibendum; quare, ut appareat, quid hac in re præstiterit Noster, ono-

---

[16]) Cf. *Erasm.* Comm. in ev. Matth. 21, 9: "Aug., hebr. sermonis quoniam prorsus erat ignarus, ferendum non putat, ut Hieron. quidquam ex Hebræorum fontibus mutaret; — quodsi contigisset Augustino linguarum peritia, quæ Hieronymo, non dubitasset facere, quod illum facere vetat."

[17]) Prolog. in lib. de interpretatione nominum hebr. — Fragmenta utriusque operis exstant in Opp. Hieron. Ed. Bened. t. II. p. 95-170. 182-268.

masticon, quod per omnes libros ejus dispersum invenitur, in una tabula, quam plenissime fieri potuit, oculis lectorum exponere conabimur.

Abel — "luctus" (!) de civ. D. XV. 18. (ex scriptione græca in LXX אֶבֶל pro הֶבֶל, vanitas). Neque aliter *Philo*: Ἀβὲλ ὄνομα πενθοῦντος. *Joseph.* (Ant. I. 5): πένθος. *Orig.* ἢ ἀτμὶς ἢ πένθος. *Hieron.* luctus aut vapor.

Abimelech — "patris mei regnum" (!) in Ps. 33 enarr. 1 n. 4. (pro: pater regis). *Orig.* πατρὸς βασιλέια ἢ πατὴρ βασιλεὺς. *Hieron.* pater meus rex (ex punctat. אָבִי כ: אֲבִי).

Absalon — "patris pax" (!). Enarr. in Ps. 7 n. 1. *Orig.* πατρὸς ἐιρήνης (?). *Hieron.* recte: pater pacis.

Achis (אָכִישׁ. 1 Sam. 21, 12) "quomodo est" (!). In Ps. 33 enarr. 1 n. 4. (כ: אֵיךְ יֵשׁ.) *Hieron.* "verum tamen vir (אַךְ אִישׁ), sive frater meus (אָחִי), aut frater vir."

Achitophel — "fratris ruina" (!). Enarr. in Ps. 7 n. 1. (pro: frater insulsitatis — תָפֵל). *Hieron.* "frater meus cadens sive irruens." Utrumque sine dubio ex r. נָפַל.

Amalechitæ — "populus lingens." Enarr. in Ps. 38 n. 7. (ex r. לָקַק). Sic quoque *Philo* et *Orig.*: λαὸς ἐκλείχων.

Ammonitæ — "populus turbidus v. pop. moeroris" (!) ibid. (ex r. הָמָה vel ex r. אוֹן (!) *Hieron.* "pop. moeroris v. pop. comprimens me" (r. עָנָה).

Amorrhæi — "amaricantes" (!). Enarr. in Ps. 134 n. 20. (ex r. מָרַר). *Philo*: λαλοῦντες (r. אָמַר).

Orig. *λαλούμενος ἢ πικραίνων.* *Hieron.* amarus vel loquens.

Anna (חַנָּה) — "gratia ejus" de civ. D. XVII, 4. (ɔ: חַנָּהּ). *Philo:* *χάρις.* *Orig.* *χάρις ἀυτῆς.* *Hieron.* gratia ejus.

Aram (Syria) — "sublimis" (!). Enarr. in Ps. 59 n. 2. (ex r. רוּם). *Orig.* *ὅρασις ἢ φῶς ἢ λόγος* (רָאָה. אוֹר. אָבַר). *Hieron.* excelsus.

Asaph — "synagoga." Enarr. in Ps. 72 n. 4. *Philo:* *ἐνσυναγώμενος.* *Orig.* *συναγωγή.* *Hieron.* recte: "congregans."

Assyrii "dirigentes" (pro: gressus). Enarr. in Ps. 79 n. 1. Simil. *Orig.* (*κάθενθύνοντες*) et *Hieron.*

Babylon — "confusio." Enarr. in Ps. 64 n. 2. Ps. 136 n. 1. (ex r. בָּלַל vid. Gen. II. 9, ubi LXX: *σύγχυσις*). Sic quoque *Philo*, *Joseph.* (allusione vero ad exilium facta: *σύγχυσις μεταθέσεως ἢ ἀιχμαλωσία*), *Orig.* *Hieron.*

Basan (בָּשָׁן) — "confusio." Enarr. in Ps. 67 n. 31. Ps. 134 n. 20. (ex r. בּוֹשׁ, pudore confundi) ut *Philo* et *Orig.* *αισχύνη.* Sed *Hieron.* ad h. v. "brucchus (!) sive pinguedo; nam quod solet interpretari ignominia vel confusio, Busa (בּוּשָׁה) dicitur."

Beërsaba — "puteus satietatis s. puteus septimus." c. Faust. XXII, 87. (unum ex nom. שֹׂבַע cum שָׁבַע commixto, alterum ex Genes. 21, 30). *Philo:* *θυγατηρ δυνατοῦ* (בַּת שֶׁאַבִּיר). *Orig.* *θυγατηρ ἐδόθη ἢ θ. πεπληρωμένη.* *Hieron.* puteus satietatis s. septimus, filia saturitatis s. juramenti.

Bilha — "inveterata." c. Faust. XXII. 54. (ex r. בָּלָה). *Philo:* καταποσις (r. בָּלַע). *Hieron.* ut Aug. (pro: terror — בַּלָּהָה ex. r. בָּלַה).

Canaän — "paratus humilitati (!) Enarr. in Ps. 134 n. 20. (quasi ex עֲנָוָה. כּוֹנֵן). *Philo:* σάλος (ex נוּעַ). *Hieron.* motus eorum aut negotiator, vel humilis (prius ex קָנָה).

Cham — "calidus." de civ. D. XVI. 2. (r. חָמַם). *Philo:* θέρμη (חֹם), τολμηρὸς ἢ προπετής. *Hieron.* ut Aug.

Cherubim — "plenitudo scientiæ" (!). Enarr. in Ps. 79 n. 2. Ps. 98 n. 3. de Gen. c. Manich. II. 35. *Philo:* ἐπίγνωσις κ. ἐπιστήμη πολλή. πτέρυγες ἢ χύσις σοφίας. *Hieron.* "scientia multiplicata. scientia et intellectus." (nonne רֹב בִּינָה?).[18]

Chittæus (חִתִּי) — "abscisus." c. Faust. XXII. 87. (r. חָתַת). *Philo:* πάτησις ἐν ληνῷ, ὅ ἐστι πόλεμος. *Hieron.* "mentis excessus s. fixus, vel abscisus (prius ex notione timendi verbi ejusdem).

Corachitæ (בְּנֵי קֹרַח) — "filii calvariæ" (!) i. e. passionis Christi (קָרְחָה). *Orig.* φαλακρὸς.

Cusch (Ps. 7, 1.) — "silentium" (r. חָשָׁה). Enarr. in Ps. 7 n. 1.

David — "manu fortis s. desiderabilis (!). c. Faust. XXII. 87. Enarr. in Ps. 28, 1. Ps. 34, 1. (prius ex יַד דַי (quod sufficit)? alterum ex דוֹד). *Philo* et *Orig.* υἱὸς αγαπητὸς, πεποθημένος, ἢ ἱκανὸς χειρί. *Hieron.* ut Aug.

---

[18]) *Hiller* (onomast. sacr. p. 58): "Puto, Philonem in animo habuisse vocem כְּרַבִּים: qui sunt instar magistrorum." (?).

Doëg — "motus." Enarr. in Ps. 51 n. 4. *Hieron.* "motus s. sollicitus (r. דָּאַג).

Ebenezer (1. Sam. 4, 1.) — "lapis adjutoris." de civ. D. XVII. 7. (pro: lapis auxilii). *Philo*: *λίθος βοηθῶν.*

Edom — "terrenus." Enarr. in Ps. 51 n. 4. 59 n. 2. (ex אֲדָמָה). sed in Ps. 82 n. 7: "vel sanguineus (ɔ: rufus אָדוֹם) vel terrenus." *Philo: γήϊνος. Orig. γήϊνος ἢ κόκκινος. Hieron.* rufus sive terrenus.

Endor — "fons generationis." Enarr. in Ps. 82 n. 9. Sic quoque *Hieron.*

Ephraim — "fructificatio." Enarr. in Ps. 59 n. 9. 79 n. 3. (ex Gen. 41, 52). *Philo: καρποφορία. Orig. πλατυσμὸς ἢ παράκλησις ἢ διασκεδασμὸς* (primum sine dubio ex not. foecunditatis, secundum fortasse ex r. רָפָא (p. invers.), tertium ex r. פָּרַן s. פּוּר). *Hieron.* frugifer sive crescens.

Ephrata — "speculum" (!) Enarr. in Ps. 131 n. 11. (ex r. רָאָה?) *Philo: παράκλησις. Orig. παράκλησις ἢ καρποφορία. Hieron.* ubertas frugifera, s. pulverulenta. (vid. supr.) vel: equidem vides (אַף רָאִיתָ).

Er (עֵר Gen. 38, 7) — "pelliceus" (ex r. עוֹר) c. Faust. XXII. 84. *Philo: δρυμὸς, ὅπου θηριώδους* (עֵץ v. הַר?). *Hieron.* vigiliæ f. surrectio (r. עוּר), aut pelliceus, vel effusio.

Ethan (אֵיתָן) — "robustus." Enarr. in Ps. 88 n. 1. *Hieron.* robustus s. ascensus (num ex. r. אָתָה?).

Gebal — "vallis vana i. e. fallaciter humilis" (!) Enarr. in Ps. 83 n. 7. (גֵי בְלִי). *Orig.* φάραγξ παλαία (גַי בָלָה). *Hieron.* vallis, vorago vetus. definiens s. disterminans.[19])

Gilead — "acervus testimonii." (גַל. עֵד) Gen. 31, 47. Enarr. in Ps. 59 n. 9. *Philo:* μετοικία μαρτυρίας (גוֹלָה). *Hieron.* acervus sive transmigratio testimonii.

Gog — "tectum" (גַג). de civ. D. XXII. 11. *Hieron.* ut Aug.[20])

Hagareni (הַגְרִים) (Ps. 83, 7) — "proselyti" i. e. advenæ (!) Enarr. in Ps. 82 n. 1. (הַגֵּרִים).

Hebræi — "Heberæi (ɔ: filii Heber) aut Abrahæi" (!). Quæst. in Gen. I. 24. Retract. II. 16. *Philo:* Εβερ, διαπορῶν ἢ διάβασις. *Orig.* περάτης. *Hieron.* transeuntes, transitores.

Heman — "frater ejus" (!). Enarr. in Ps. 87 n. 1.

Hermon (חֶרְמוֹן) — "anathematio" (חֵרֶם). Enarr. in Ps. 41 n. 12. Ps. 88 n. 13. Sed Enarr. in Ps. 132 n. 11: "lumen exaltatum est" (!) (אוֹר. רוּם).

Jabin — "sapiens." Enarr. in Ps. 83 n. 9. *Hieron.* intelligens v. intelligentia.

Japhet — "latitudo" (r. פָּתָה) de civ. D. XVI. 2. *Philo* et *Orig.* πλάτος, πλατυσμός. *Hieron.* ut Aug.

---

19) Cf. *Simonis* Onomast V. T. p. 113. 199: "terminus, quo regio terminatur vel ex signif. arab. mons."

20) Cf. *Hieron.* in Ezech. c. 38: "Gog græco sermone δῶμα, latino tectum dicitur, porro Magog interpretatur de tecto; — tectum interpretabimur hæreticorum principes, et de tecto eos, qui illorum suscepere doctrinas."

Jechonjah — "præparatio Dei" (pro: Deus præparat, confirmat: יְכָנְיָה). *Philo:* καθαρὸς (!). *Orig.* καθαρὸς ἢ ἑτοιμασμὸς γινόμενος. *Hieron.* ut Aug.

Jeduthun — "transiliens eos." Enarr. in Ps. 38 n. 1. *Hieron.* ut Aug. (ex r. רוּץ).

Jericho — "luna" (יָרֵחַ) de serm. Dom. in monte 2, 18. *Philo:* κατάβασις ἀγροῦ (יָרַד) ἢ ὄσφρησις (r. רֵיחַ) ἡ σελήνη. (Priora verba videntur transposita esse pro: ὄσφρησις ἀγροῦ ἢ κατάβασις — ex Gen. 27, 27: רֵיחַ שָׂדֶה). *Orig.* κατάβασις ἀγροῦ. *Hieron.* odor ejus s. luna.

Jerusalem — "visio pacis" (ex r. רָאָה (!) pro: possessio pacis r. יָרַשׁ). de Gen. ad litt. 12, 56. Enarr. in Ps. 64 n. 2. Ps. 136 n. 1. *Philo:* ὅρασις εἰρήνης. πνεῦμα χάριτος (רוּחַ שָׁלוֹם). *Orig.* ὅρασις, ἐγρήγορσις (r. עוּר) ἢ πνεῦμα χάριτος. *Hieron.* visio pacis vel timebit perfecte (יָרֵא. שָׁלֵם).

Joab — "inimicus." Enarr. in Ps. 59 n. 2. (אוֹיֵב, p. invers. pro: Jehova pater). *Orig.* πατὴρ κυρίου ἢ ἰσχὺς καθαρά (num legend. πατέρος?) *Hier.* inimicus vel: ut pater.

Jordan (יַרְדֵּן) — "descensio eorum." Enarr. in Ps. 41 n. 12. *Philo* et *Orig.*: κατάβασις. *Hieron.* ut Aug.

Joseph — "auctus." Serm. 219 n. 15. *Philo, Joseph.* et *Orig.* πρόσθεμα, προσθήκη. *Hieron.* augmentum s. apponens.

Ismael — "obediens sibi, non Deo." (!) Enarr. in Ps. 82 n. 7. (pro: exaudivit Deus, vid. Gen.

16, 11). *Philo: ἀκοὴ θεοῦ. Orig. εἰσακουσμὸς κυρίου. Hieron.* auditio Dei.

Juda — "confessio." Enarr. in Ps. 48 n. 11. Ps. 67 n. 36. *Philo* et *Orig. κυρίου ἐξομολόγησις. Hieron.* laudatio s. confessio.

Kedar — "tenebræ." Enarr. in Ps. 119 n. 7. *Philo: ὀστρακίνη* (חֶרֶשׂ?). *Orig. συσκοτασμὸς ἢ σκότος. Hieron.* tenebræ vel moeror.

Kischon — "durities eorum" (r. קָשָׁה). Enarr. in Ps. 82 n. 9. (cf. Orig. *κὶς, σκληρὸς*). *Hieron.* duritia eorum vel lætitia (שָׂשׂוֹן?).

Laban — "dealbatio." (לִבְנָה) c. Faust. XXII. 52. *Philo: λευκὸς. Orig. λευκασμὸς. Hieron.* candidus.

Lea — "laborans" (r. לָאָה). c. Faust. XXII. 52. de cons. Evang. I, 8. *Philo* et *Orig. κοπιῶσα. Hieron.* laboriosa.

Magog — "de tecto" (ɔ: מִגַּג) de civ. D. XX. 11. *Orig. τῆξις* (r. מוּג) *ἢ πᾶν ἔθνος* (ex גּוֹי?) *Hieron.* quod tectum? vel de tecto.

Manasse — "oblitus" (pro: qui ad obliviscendum aliquem perduxit). Enarr. in Ps. 59 n. 9. Ps. 79 n. 3. *Philo: ἐκ λήθης* (מִנְּשִׁיָּה). *Orig. ἀπὸ του ἀνιςαμένου* (נָשָׂא!). *Hieron.* obliviosus vel quod oblitus est.

Mara — "amaritudo." Quæst. in Exod. 2, 56. (ex Exod. 15, 23). *Philo: πικρία. Hieron.* ut Aug.

Midian — "declinans judicium" (מַדִּין?). Enarr. in Ps. 83 n. 9. *Philo: ἐκ κρίσεως. Orig. ἐνέγκασις ἢ ἀπόκρισις* (ɔ: *ἔρις.* מָדוֹן). *Hieron.* in judicio vel ex judicio.

Mizpah (1 Sam. 7, 12) — "intentio" (pro: specula). de civ. D. XVII. 7. *Hieron.* specula vel de specula.

Mizraim — "afflictio v. affligens v. comprimens" (!) (r. צָרַר). Enarr. in Ps. 113 n. 3. Ps. 134 n. 18. *Philo* et *Orig.* *θλίψις ἢ σκότος ἢ ἔκλειψις.* *Hieron.* tribulatio coangustans. [21])

Moab — "ex patre" (ex Gen. 19, 37). Enarr. in Ps. 82, 7. *Philo: ἐκ πατρός.* *Hieron.* ut Aug.

Naphthali — "dilatatio mea (! r. פָּתַח). Enarr. in Ps. 67 n. 36. *Philo: διανοίγεται ἢ εὐρύνεται ἢ πλατυσμός.* *Orig.* *πλατυσμὸς ἢ ἀντίληψις.* [22]) *Hieron.* conservavit me, vel dilatavit me, vel certe implicuit me.

Og (עוֹג) — "conclusio" (r. עוּק? H. compressit). Enarr. in Ps. 134 n. 20. *Hieron.* coacervans s. absconditus.

Onan — "moeror eorum." c. Faust. XXII. 84. *Hieron.* ut Aug.

Oreb — "siccitas" (!) (עֲרָבָה). Enarr. in Ps. 82, 9. *Hieron.* corvus aut siccitas.

---

[21]) *Gesen.* (Lex. p. 634) consulendum ducit vocem מְצַר limes. Quod vero idem vir doctiss. monet, constare ex verbis Josephi (*"τὴν αἴγυπτον μέσρην καὶ μεσραίους τοὺς αἰγυπτίους ἅπαντες οἱ ταύτην οἰκοῦντες καλοῦμεν"*), nomen esse origine copticum, ex justa verborum interpretatione vix satis tute colligitur, quum "*nos* qui in Ægypto habitamus" intelligendi videantur Judæi ægyptiaci.

[22]) ita ex vers. LXX (Gen. 30, 8): *συναντελάβετο με ὁ Θεός* — fortasse ex r. פִּלֵּט p. invers. Alia est Cod. Coislin. CXCIX derivatio: *προσευχή* — תְּפִלָּה (vid. Alberti Glossar. Sacr. in N. T. p. 221).

Pascha — "transitus." de civ. D. XVI. 43. Ep. 55 n. 2. Enarr. in Ps. 68 n. 2.[23]) Ps. 120 n. 6.[24]) Ps. 140 n. 25. in Ev. Joh. tract. 55 n. 1. *Philo:* *λύτρωσις* (ex notione parcendi). *Joseph:* *ὑπερβασία.* *Orig.* *διαβατήριον ἢ λύτρον.* *Hieron.* transitus, transgressus.

Pharao — "dissipatio" (!) (r. פֶּרַע?). [25]) Enarr. in Ps. 134 n. 19. *Philo:* *ἀποῤῥίπτων.* *Hieron.* dissipans s. discooperiens eum.

Pharisæi — "segregatio." Serm. 169 n. 5. *Orig.* *μεμερισμένοι, διακοπτομένοι.* *Hieron.* dividentes s. divisi.

Philisthæi — "allophyli" (ex LXX. r. æthiop. פלש). Ps. 55 n. 1. Sed in Ps. 82 n. 7: "cadentes potione" (שָׁתָה. נָפַל!).

Rachel — "visum principium" (!רָאָה. חָלַל aperuit). c. Faust. XXII. 52. *Philo:* *ὅρασις βεβηλώσεως.* (r. חָלַל) *ἢ προβατον* (רָחֵל). *Orig.* *προβατον θεοῦ ἢ πνοὴ ἰσχυρά* (!רוּחַ אֵל). *Hieron.* ovis, vel videns principium, aut visio sceleris sive videns Deum.

Salomo — "pacificus." Enarr. in Ps. 71 n. 1. *Philo:* *εἰρηνικός.* *Orig.* *εἰρήνη ἢ χάρις.* *Hieron.* ut Aug.

Samaritanus — "custos." de serm. Dom. in monte 2, 19. *Philo:* *Σαμαρεία, ἀναπαυομένη* (?)

---

[23]) "Resonat quidem in græca lingua passionem, quia *πάσχειν* pati dicitur; sed consultum hebræum eloquium aliud indicat."

[24]) "Putant homines, græcum esse quasi passionem, sed non est."

[25]) De orig. vocabuli coptica vid. Gesen. Lex. p. 1301.

ἡ ὑπακοὴ λεγόντος (! r. שְׁמַע אָמַר). Orig. φυλακὴ ἡ ὑπακοή. *Hieron.* custodes.

Saul — "petitio, appetitio" (pro: petitus). Enarr. in Ps. 51 n. 2. *Philo:* κεκτημένος (?) *Orig.* ἀιτητος ἢ κεχρημένος (?). *Hieron.* expetitus.

Schelah (Gen. 38, 11) — "dimissio ejus" (r. שָׁלַח). c. Faust. XXII. 84. *Hieron.* missa.

Sebach (זֶבַח) — "victima." Enarr. in Ps. 82, 9. *Orig.* ἄφεσις, ἱλασμός. *Hieron.* victima s. hostia.

Seëb (זְאֵב) — "lupus." ibid. *Hieron.* ut Aug.

Sem (שֵׁם) — "nominatus." de civ. D. XVI. 2. *Philo:* τέλειος (ɔ: שָׁלֵם!) ἢ ἀνας̃ῶ (?). *Orig.* ἀνάπαυσις (ex r. שׁוּם?) ἢ ὄνομα. *Hieron.* nomen vel nominatus.

Seth — "resurrectio" (!). De civ. D. XV. 18. Philo: φύτευμα (ex Gen. 4, 25) ἢ ἀνάς̃ασις. *Orig.* ἀνάς̃ασις ὡραία ἢ ἐπιλησμονὴ κακῶν (r. שָׁכַח!), ἢ θέμενος. *Hieron.* positio vel positus, aut poculum (r. שָׁתָה), sive gramen aut semen, seu resurrectio.

Sichem — "humerus." Enarr. in Ps. 59 n. 8. *Philo:* ὦμος. *Orig.* νῶτος, πόνος ἢ ἄσκησις (ex. r. שָׁכַם). *Hieron.* ut Aug.

Sichem (סִיחוֹן) — "tentatio oculorum" (r. syr. סוּחַ exoptavit). *Hieron.* tentatio calens s. calescens, vel germen quod non est (אַיִן. שִׂיחַ?).

Sinai (סִינַי) — "mandatum" [26]). Enarr. in Ps. 67 n. 24. "tentatio" (r. נָסָה p. inv.), Quæst. in

---

[26]) Denominatio historica potius, ut videtur, quam philologica dicenda, ɔ: mons legis, in quo lex promulgata; nisi cui placeat r. צָוָה huc trahere.

Deut. n. 56. *Philo:* ὅρασις (leg. ἄρσις?) αἰωνία; (r. נָשָׂא p. inv.) ἢ μῖσος (r. שָׂנֵא!). *Orig.* ἄρσις αἰωνία, ἢ δίψα (r. צָמֵא!). *Hieron.* amphora mea (סְאָה!) s. mensura mea, vel mandatum.

Sisera (סִיסְרָא) "gaudii exclusio" (! r. סוּר. שׂוּשׂ?). *Orig.* ὡς ὅρασις ἵππου (סוּס. רָאָה), ἢ ἄρσεις ἀποστάσεως (שִׂיא. צַר!). *Hieron.* gaudii exclusio, vel equi visio, sive tollens recedentem (r. סוּר. נָשָׂא!).

Thamar (תָּמָר: palma) — "amaritudo (r. מָרַר) vel commutans" (r. הֵמִיר) c. Faust. XXII. 84. 86. *Philo:* φοίνιξ, ἢ πικρασμός, ἢ ἤλλαξεν (תְּמִיר). *Orig.* πεπειραμένη, φοίνιξ, ἢ Θεοῦ λόγοι (r. אָמַר)[27]), ἢ δεῦρο λόγοι (num ex verbo אָתָה: venit?). *Hieron.* palma, sive amaritudo, vel commutans.

Tyrus (צוֹר: rupes) — "angustia, tribulatio" (צָרָה). Enarr. in Ps. 83 n. 7. *Orig.* συνοχή, θλίψις ἢ πέτρα. *Hieron.* ut Aug.

Urias — "lux mea Dei." c. Faust. XXII. 87. *Orig.* φῶς κυρίου. *Hieron.* lumen Domini.

Zalmon — "umbra." Enarr. in Ps. 67 n. 21.

Zalmuna (צַלְמֻנָּע) — "umbra commotionis" (צַלְמוֹן. נוּעַ). Enarr. in Ps. 82 n. 9. *Orig.* σκιὰ λαοῦ. *Hieron.* umbra prohibendis. offendiculi (r. מָנַע) vel umbra commotionis, vel imago fortitudinis (צֶלֶם! אוֹן).

Zaphnat-Paneach (cognomen Josephi, Gen. 41, 45) — "occulta revelavit" (מַעְנֵחַ. צָפַן) Quæst. in Gen. n. 135. *Philo:* ὀνειροκρίτης. *Ioseph.* κρυπτῶν εὑρετής. *Hieron.* absconditorum repertor. Obser-

27) Fortasse etiam nomen Θάμαρ litteris ludendo sic resolverunt Θ(εός) αμαρ (אָמַר).

vat tamen Augustinus, nomen illud (ex LXX scribendum Psontomphanech) originis copticæ esse, "salvatorem mundi" indicans; in quo non solum Hieronymum secum habet consentientem ("ab Ægyptiis didicimus, quod in lingua eorum resonet salv. m."), sed interpretes quoque recentiores et recentissimos, de quibus vid. Gesenii lex p. 1303 s.

Zebulon (זְבוּלוּן) — "habitaculum fortitudinis (!) (זְבֻל אוֹן). *Philo:* *φύσις* (leg. *ῥύσις*?) *νυκτερίας* (r. זוּב. לַיִן), *ἢ δῶρον*. *Orig.* *αἰὼν ἢ δῶρον* [28]), *ἢ ῥύσις αὐτῶν*. *Hieron.* habitaculum eorum aut fortitudinis, vel fluxus noctis.

Zilpah (זִלְפָּה) — "os hians" (פֶּה et צָהַל clamavit?). c. Faust. XXII. 54. *Philo*: *πορευόμενον στόμα* (r. זוּל). *Orig.* id. vel *ἐξάντλημα* (ex chald. זְלַף: effudit). *Hieron.* ambulans os vel fluens os.

Ziphitæ (זִיפִים) — "florentes" [29]). Enarr. in Ps. 53 n. 1. *Hieron.* germinantes seu florentes.

---

[28]) Commixtis haud dubie inter se verbis זָבַד et זָבַל; utrumque enim occurrit in narratione de nativitate Zebulonis (Gen. 30, 20), prius autem, quod vertitur a LXX "*δεδώρηται*", existimatum est nominis pueri explicationem continere; significatio *αἰὼν* deinde orta videtur ex nomine *δῶρον*, scripto hebr. דוֹר, nisi statuere malis, primum דוֹר positum esse, ut explicaretur nomen זְבוּל, deinde vero ex nom. hebr. confectum esse græcum *δῶρον*.

[29]) ex זִיו: splendor, etiam (זִו) "mensis Hebræorum secundus i. e. Aprilis, quod tunc terræ nascentia florem et splendorem suum proferant. 1 Reg. 6, 1. (בְּחֹדֶשׁ זִו), ubi Chald. בְּיַרְחָא זִיו נִצָּנַיָּא, in mense Siv. i. e. splendoris florentium sive florum." Buxtorf. Lex. chald. talm. p. 662.

Zoan (Thanis) — "mandatum humile" (! r. עָנִי. צִוָּה). Enarr. in Ps. 77 n. 12.

Zoba (צוֹבָה — "Sobal" ex LXX) — "vana vetustas" (! r. בָּלָה). Enarr. in Ps. 59 n. 2. *Hieron.* mandatum in ea (r. צִוָּה. בָּהּ!).

Hocce vero Onomastici Augustiniani spicilegium non tam lectorum oculis subjeci, ut imperitia ejus sermonis hebræi manifestior omnibus fiat, quam et ipse ingenue sæpius professus est, et abunde multa eaque gravioris momenti confirmant interpretationis exegeticæ exempla, suo deinceps loco afferenda, quam ut excusationis aliquid apud judices animi æquioris habeat ex aliis magni nominis viris, quos in eadem culpa fuisse videmus. Quid! quod quum unus Judæus fuerit ex Judæis prognatus, alter, scholæ alexandrinæ decus, ingenii lumine non minus quam adamantino litterarum studio insignis, tertius autem interpretum quotquot prima ecclesiæ secula tulere facile princeps, cujus eruditionis laudibus annales litterarum, neque immerito, resonuerunt: his omnibus etymologias durissimas, violenter contortas, linguæ genio et formis repugnantes, placuisse seque probasse invenimus. Scilicet, quum hoc persuasissimum sibi haberent, nomina propria quæ dicuntur ita ad unum omnia origine fuisse appellativa, ut nullum occurreret in codice Hebræorum vel hominis vel urbis nomen, quin sensum etymologicum haberet historiæ argumento aptum, vocabulorum elementa et leges formationis grammaticæ minus indagare laborarunt, quam ex narrationis vel carminis argumento sensum qualemcunque commodum conjectando eruere,

eumque nomini, quocunque demum modo fieri posset, obtrudere. Nunc igitur, litteris radicalibus prorsus neglectis vel cum aliis sono affinibus permutatis, origines vocis falsas omnino arripuerunt (ut in voc. Cherubim, Jerusalem, Mizraim, Sinai, Thamar); nunc autem, elementa litterarum recta via assecuti, in iis jungendis comstruendisque leges syntaxeos grammaticæ violarunt (ut in nom. Absalon, Assyrii, Manasse); interdum etiam ex una alterave littera temere arrepta nomina composita sibi finxerunt per durissima compendia scribendi (ut in voc. Rachel, Sisera, Sebulon); in paucis vero ita illis nodum solvere contigit, ut nobis in studiis eorum acquiescere liceat (Amalechitæ, Ethan, Jordan, Juda, Lea, Pascha, Saul al.). Hoc vero accidisse Hieronymo, quem, magistro Judæo usum, linguæ hebrææ peritissimum [30]) antiqui omnes admirati sunt, recentiores quoque æstimarunt, quis est qui non miretur? Tenendum vero hoc est: quum Rabbinis nil gratius et exoptatius fuerit, quam litteris et nominibus computando et componendo ludere, in quibus resolvendis explicandisque sagacitatis laudem magis quam eruditionis solidæ ambibant, ad ambages allegoriarum cuncta referentes, neque aliquid ingenii arbitrio non licitum putantes [31]), minus certe mirandum esse, quod a studio isto, inepto sane et sterili, neque doctor christianus, illorum discipulus et alumnus,

---

30) Cf. magnificum, quod ipse sibi exhibuit, testimonium: "ego philosophus, rhetor, grammaticus, dialecticus, *hebræus*, *græcus*, *latinus*, *trilinguis*". (apolog. adv. Ruf. I. 2).

31) Cf. *Rich. Simon* hist. crit. du V. T. III. 5.

purum sese servaverit. Deinde vero, Hieronymum librum de interpretatione nominum hebr. non tam suo Marte concinnare voluisse, quam librum Philonis in linguam latinam vertere, Origene simul in opem vocato, constat ex præfatione libri; ipse quidem supplendo et corrigendo pro more suo opus emendavit ("vetus ædificium nova cura instaurans"), ita vero ut ea, quæ ex suo ingenio addebat et ea quæ tradita ab aliis acceperat, nulla signorum nota distingueret [32]); quare dubitandum non esse videtur, in Onomastico Hieronymiano multa, Philoni et Origeni debita, retenta esse, quæ quam perperam posita essent satis ipse perspectum habuit. Accedit hoc denique, librum ex mero nominum indice compositum ita corruptionibus expositum esse, ut nullus magis; nam ut multa facillime, propter internum qui deest verborum nexum, e textu excidere possunt, ita viri litterati, munere apographorum defungentes, sedulo tum ex libris affinibus collatis tum ex scriniis suis addenda curarunt nova etymologiæ tentamina, nonnunquam etiam ea loco verborum genuinorum substituentes. Testes sunt doctissimi et diligentissimi operum Hieronymi editores e Congreg. S. Mauri, hoc profitentes (vol. II. p. 86), "nullum virorum doctorum opusculum ævo nostro prodiisse in lucem cum tanta errorum congerie, nullum cum minori legentium utilitate"; iidem vero etsi summo studio et labore id egerunt, ut opus adeo neglectum

32) "tam dissona inter se exemplaria (libri Philonis) reperi et sic confusum ordinem, ut tacere melius judicaverim, quam reprehensione quid dignum scribere".

omnique squalore horridum integrum restitueretur, merito dubitare licet, num integritas curâ illorum operi aut reddita sit aut reddi etiam potuerit vel unquam possit. —

Sed ad Augustinum redire libelli nostri ratio et consilium monet.

De peritia Augustini linguæ græcæ.

III.

Fuere quibus scripta Augustini exegetica ita se probarent, ut solidam et accuratam linguæ græcæ notitiam ex iis apparere contenderent [33]); id quod vix cuiquam credibile erit, qui viro de se referenti ipsi ante omnes fidem habendam esse censeat. Quippe puerum se miro modo fatetur a studio litterarum illarum abhorruisse, imo eousque sibi institutionem grammaticorum invisam et spinis obsitam fuisse, ut ne carminum quidem Homeri suavitate vel fabularum scenicarum varietate delectatus sit (Confess. I. 13. 14). Sed dixerit forsan aliquis, annis ætatis maturioris eum in hoc litterarum genere multum profecisse; verum — ne hoc moneam, in libris ejus exegeticis perraro lucem necessariam vel utilem repetitam esse ex iis, quæ patres ecclesiæ græcæ non pauci jam prius copiose et subtiliter ad interpretationem contulerant — ipse vero expressis verbis negavit, "tantum sibi esse sermonis græci habitum,

[33]) Ita editores Benedictini t. XI p. 4: "ea quantulacunque græci sermonis notitia, quam sibi comparaverat, usque adeo feliciter usus est, ut, nisi ipse pro innata modestia ejus se rudem professus esset, litteris græcis apprime eruditus videri potuisset".

ut talium rerum libris legendis et intelligendis ullo modo idoneus esset" (de Trin. III. 1); quare in epist. 28va Hieronymo scripta enixe eum orat et rogat, ut interpretandis eorum libris, qui græce Scripturas quam optime tractarunt, operam impendere velit, ut sibi et reliquis ex ecclesia africana talia tantaque præsidia in usum convertere liceat. Neque ea recte objiciuntur, quæ de libris, doctrina, stylo auctorum græcorum hic illic observata reperiuntur — plura de Platone, pauca de Aristotele, de reliquis paucissima —; pleraque enim ita communiter dicta sunt, ut ex auctoritate aliorum, maxime Ciceronis, potius quam ex fontibus ipsis hausta videantur; scripsit quidem noster, qui hodie supersunt, tres contra Academicos libros; inde vero si quis colligere velit, eum græce legisse Platonem, audiat verba confitentis, libros Platonis sibi paratos fuisse ex lingua græca in latinam versos (Confess. VII. 13) [34]; unde justa oritur suspicio, quod in Conf. IV. 16. tradit, "Aristotelica quædam, quas appellant decem categorias", immensis doctorum et laudibus se excitatum esse ut studiosius legeret, intelligendos esse libros latinos [35].

Quæ quum ita sint, aliis nonnullis visus est Augustinus notitia linguæ græcæ adeo caruisse, ut ejus

---

34) Pertinet autem narratio illa ad a. 385-86mum sive ætatis 31mum, quo quidem ipse libri contra Academicos exarati videntur.

35) Liber, cui titulus: decem categoriæ ex Aristot. descriptæ, inter supposititios relatus est a Benedictinis, comprobantibus *Oelrichs* Comm. de script. eccl. lat. p. 209. *Walch* bibl. patrist. p. 209. *Schoenemann* bibl. patr. lat. II p. 52.

non minus quam hebrææ rudis et ignarus fuerit;[36]) ita vero qui statuunt vereor ne pro certo sumant, quod necdum probatum est neque probari potest. Aliud enim esse, linguam ita callere, ut libri quicunque argumenti difficilioris commode legantur et intelligantur, aliud vero eam ejus habere notitiam, ut libri subinde consuli queant et lucis nonnihil ex iis peti, res ipsa docet; cautiore proinde pede hic incedere, ne in manes tanti viri injurii simus, officium justitiæ monet jubetque.[37])

Fuisse autem Augustinum in rebus linguæ græcæ grammaticis satis bene versatum, neque mediocrem usus loquendi Græcorum exploratorem, facile nobis justo librorum ejus usu persuadebitur. Et primum quidem — quem vidimus, ab omni ostentationis fastu alienum, imperitiam sermonis hebræi aperte fatentem, non minore profecto fide dignum habemus, ubi eorum numero sese adjungit, quibus litteræ græcæ notiores sint. Ita vero in libro quæstionum in Genesin, de vi et potestate vocabuli alicujus disputans, eorum sententiam improbat, "qui verbum de

---

[36]) *Walch.* bibl. patrist. p. 552: "Aug. exstitit, ut alii, ebrææ ac græcæ linguæ ignarus." *Rosenmüller* hist. interpretat. ll. sacr. III. p. 404, "imperitus non tantum hebraicæ, sed etiam græcæ linguæ, ipsos fontes adire non potuit, sed solam fere translationem latinam explicare conatus est."

[37]) Ita *Erasm.* comm. in Ev. Matth. 21, 9 (VI. p. 109. Lugd. Bat. 1704): "Aug. græcas litteras puer utcunque degustarat, ad quas senex redire coactus est." Ratio veræ theol. V. p. 77: "quum Aug. latinam duntaxat calleret, græcam leviter attigisset, hebræam nec sciret." *Rich. Simon.* hist. crit. du V. T. III. 9.

hac re græcum nesciunt" (qu. 69); ad alium autem locum, ab interpretibus vexatum, "facile," inquit, "hoc intelligent, qui Græcorum eloquium audire atque intelligere solent" (qu. 105); neque minus huc pertinent, quæ de usu et utilitate accentuum dicit: "ab iis, qui ista noverunt, in codicibus non contemnuntur, valent enim ad magnam discretionem" (qu. 162). Verum singula auctoris verba ulterius persequi quid opus est, quum libri ejus exegetici manifestius loquantur, in quibus, prouti res ferebat, nunc vocabula græca analysi etymologicæ subjecta videmus, vel inter verba affinia subtiliter distinctum, nunc vero explicationes et versiones, quas alii dederant interpretes, castigatas inque melius mutatas.[38]) Utriusque rei exempla hæc habeto.

Inter vocabula, quorum justam Augustinus derivationem annotavit,[39]) hæc occurrunt: *αἰώνιον* ("ex etymologia non tam æternum quam seculare." Quæst. in Gen. n. 31) — *ἀνάθεμα* ("*ἀπὸ τοῦ ἄνω τιθέναι*: sacrum in templo suspendere." Quæst.

[38]) Ep. 149 n. 12, ad 1 Tim. 2, 1: "Secundum græcum eloquium discernenda sunt; nam nostri interpretes vix reperiuntur, qui ea diligenter et scienter transferre curaverint."

[39]) Nolo autem inter ea referre nomen *γραμματοεισαγωγεῖς*, quos explicavit "doctores, qui in litteras introducunt" (de civ. d. XVIII. 39. Quæst. in Exod. n. 69), quum etymologia ii potius indicentur, qui litteras (ɔ: mandata, rescripta, sententias) in populum inducunt. Ita *Schleusnerus* (Lex. in LXX et rel. intt. gr. V. T.), fere i. q. præcones, apparitores; consentiente voce hebr. שֹׁטְרִים, quam Vulg. (Exod. 5, 6) non male reddidit "exactores."

in Num. n. 41) — γερουσία (lat. senatus a senio. Quæst. in Levit. n. 25) — ἐγκαίνια (festum dedicationis templi, a καίνος. Tract. in Ev. Joh. 48 n. 5) — κτήνη (latiore sensu occurrens quam lat. jumenta. Quæst. in Levit. n. 2) — λόγος ("notionem verbi et rationis continens." Quæst. in Exod. n. 116) — ὁλόκαυστον (etymologia nominis in Enarr. in Ps. 49 n. 15) — παραδειγματίζειν ("quasi exemplare, h. e. palam monstrare." Quæst. in Num. n. 52). — παρακαλεῖν (ex etymologia tum notione consolandi, tum exhortandi. Enarr. in Ps. 118 ser. 15 n. 5) — παράπτωμα (ἀπο τοῦ πίπτειν), πλημμέλεια ("ɔ: ἀμέλεια: οὐ μέλει μοι." Quæst. in Levit. n. 20) — πλεονεξία (cujus notionem latius patere monet quam nom. φιλαργυρία) — τραγέλαφος (etymologia vocis in Annot. in Job. c. 39). Præsidium vero interpretationis ex mutua verborum cognatorum comparatione Augustinum neque ignorasse neque neglexisse, ex his quæ infra leguntur observationibus constabit: ἀλλογενὴς (homo alterius generis) differre ab ἀλλόφυλος (homo alius tribus). Quæst. in Num. n. 3. — γεννᾷν (gignere) differre a τίκτειν (parere). Quæst. in Deut. n. 23. — ἐνταφιάζειν ("officia præstare corporibus humandis, condiendo vel siccando vel involvendo et alligando)" differre a θάπτειν (Locut. de Gen. n. 202) — εὐχὴ (votum) diff. a προσευχὴ (oratio). Ep. 149 n. 16. — ὁ Θεός (Deus unus et verus) diff. a Θεός (numen quodcunque). Quæst. in Gen. n. 105 — θυμὸς et ὀργὴ in sermone hellenistico distingui non posse (Enarr. in Ps. 6 n. 3. Ps. 87 n. 7) — λατρεύειν (de cultu Deo præ-

stando) diff. a δουλεύειν. (Quæst. in Exod. n. 94. de Trin. I. 13) — μέρη (partes) diff. a κλίτη (latera). Quæst. in Exod. n. 131 — πνοὴ (flatus) diff. a πνεῦμα (spiritus). de civ. D. XIII. 3. — πρωτότοκα (primitivi hominum v. animalium foetus) diff. a πρωτογεννήματα (primi fructus de terra sumti), utrumque vero ab ἀπαρχαὶ (primitiæ de fructibus, sed jam reductis ab agro). Quæst. in Num. n. 32. — σκεῦος (nomen generalius, diff. a ἀγγεῖον, vas liquori capiendo destinatum). Quæst. in Levit. n. 51 — σπῖλος (macula coloris) diff. a μῶμος (labes omnis vitii), utrumque vero ab ἁφὴ (tactus, cicatrix). Quæst. in Levit. n. 41.

Hæc omnia vero quum obiter modo, ut ultro se offerre videbantur, observata fuerint, magis sollicitus Augustinus fuit — interpretis gloriæ quam grammatici studiosior — in Vetere Testamento, h. e. in textu græco versionis alex., quam accuratissime exprimendo, ut versiones latinas — sive eam quæ nomine Italæ circumferebatur sive quæ aliæ multæ erant, — quoties verba græca minus recte vel minus fideliter reddere contigisset, nota censoria indicaret. Exempla hæc sunt.

Gen. 2, 7: ἐνεφύσησεν — non "inspiravit" (sic Vulg.), sed "sufflavit" (sic Itala ap. Sabatier) de Gen. ad litt. 7, 2.

— 14, 23: σπαρτίον (nom. diminut.) — non "spartum" (It.) sed "filum" (Vulg.) Locut. de Gen. n. 47.

— 19, 11: ἀορασία — non "coecitas" (It. Vulg.), sed "avidentia" (h. e. ut non viderent non

omnia, sed ea, quæ videre non opus erat). Quæst. in Gen. n. 42.

Gen. 24, 41: ἀρὰ — non "juramentum" (It.) sed "maledictum" (Vulg.)[40]) l. l. n. 65.

— 24, 63: ἀδολεσχεῖν — non "corpore exerceri" (It.), sed animo, h. l. "meditari" (Vulg.) l. l. n. 69.

— 26, 28: διαθήκη — non "testamentum" (It.) sed: "foedus" (Vulg.) Locut. de Gen. 95.

— 28, 2: ἀπόδραθι — non "vade" (Vulg.), sed "fuge" (It.) Quæst. in Gen. n. 82.

— 40, 16: χονδρίτης (sc. ἄρτος) — non "alica" (Vulg. farina), sed "panis cibarius"[41]) l. l. n. 131.

— 47, 35: ῥάβδου αὐτοῦ[42]) — non "virgæ ejus," sed "suæ" (It.) l. l. n. 162.

Exod. 6, 5: καταδουλοῦσθαι — non "affligere," sed "in servitutem redigere" (sic It. Vulg. oppresserunt). Locut. de Exod. n. 47.

— 7, 11: σοφίζαι — non "sapientes" (Vulg.), sed nomen in versione retinendum. l. l. n. 32.

— 12, 5: πρόβατον — non "agnus" (quippe gen. masc., sic It. Vulg.), sed "ovis" (comm. gen.) Quæst. in Exod. n. 42.

— 12, 37: ἀποσκευὴ — non "instructum (It.) v. census," quia non jumenta solum, sed servi etiam et mulieres intelliguntur. (Vulg. parvulis, et ed. Sixt. add. "et mulieribus"). l. l. n. 47.

---

40) Pro ἀρᾶς autem alii codd. leg. ὁρκισμοῦ.

41) Ap. Sabatier nomen græcum servatum est latine scriptum.

42) Lectio tamen hodie recepta: αὑτοῦ.

Exod. 21, 8: *ἀπολυτρώσει* — non "redimet" (*λυτρώσεται*), sed "remunerabit" (It. rectius autem Vulg. "dimittet") l. l. n. 78.

— 26, 3. *αὐλαῖαι* — non "vestibula" (*αὐλαι*), sed: "aulæa, cortinæ" (Vulg.) l. l. n. 77.

— 33, 13: *γνωςῶς* — non "manifeste" (*φανερῶς* sic It.), sed "scienter" (h. e. minus quam videre ipse desiderabat). l. l. n. 151.

Levit. 12, 6: *ἐφ' υἱῷ* — non "super filio" (It.) sed "pro f." (Vulg.) Quæst. in Lev. n. 40.

— 13, 48: *ἐργασίμῳ δέρματι* — non "pelle confecta" (*εἰργασμένῳ*), sed "operi accommodata." (Sic It. "pelle operaria" Vulg. "quicquid ex pelle confectum est"). l. l. n. 49.

— 25, 23: *εἰς βεβαίωσιν*: vulgo "in confirmationem" (Vulg. in perpetuum) ex prava — ut putavit — lectione græca "propter verbi similem sonum" pro: *εἰς βεβήλωσιν* (It. "in profanationem"). l. l. n. 90.

Num. 16, 30: *ἐν φάσματι* (It. "in visione") fuisse qui verterint "in hiatu," legentes *ἐν χάσματι.*[43]) Quæst. in Num. n. 28.

— 22, 22. 32: *διαβάλλειν, εἰς διαβολήν* dubitat Aug. num recte verterint latine: "differre, in dilationem" (It.) (h. e. impedire, impedimento. Vulg. "ut adversarer"), quum ipse, minus recte certe, inclinat ad notionem accusandi. l. l. n. 49.

1 *Sam.* 15, 28: *διέῤῥηξε κύριος τὴν βασιλείαν σου ἀπὸ Ἰσραὴλ ἐκ χειρός σου* — non "disrupit Dom.

---

[43]) Sic in nonnullis codd. legitur; Vulg. paraphr. rem egit: "sic novam rem fecerit Dominus."

regnum Israel de manu tua (sic Vulg.) sed: "disr. Dom. regnum ab Isr., de manu tua" (It. et sic recte, quamquam verbis superioribus textum hebr. expressum habes), de civ. D. XVII. 2.

Psalm. 14 (13), 3: ὀξεῖς οἱ πόδες — non "acuti pedes," sed "veloces" (It. Vulg.) de doctr. chr. II. 18.

— 89 (90), 12: οὕτως γνώρισον — non "notam fac mihi" (It.) sed "sic notam fac" (Vulg.) Enarr. in Ps. 89 n. 12.

ibid. πεπαιδευμένους — non "compeditos," sed "eruditos" (It. Vulg.) "verbum enim græcum ita in utraque significatione similiter sonat, ut una syllaba paululum differat." (πεπεδημένους). l. l.

— 104 (105), 12: ἐν τῷ εἶναι αὐτοὺς ἀριθμῷ βραχεῖς inepte imitatione græcismi verti: "quum essent paucissimos." Enarr. in Ps. 104 n. 8.

— 118 (119), 4: φυλάξασθαι σφόδρα — non "custodire nimis" (ἄγαν. It. Vulg.), sed "valde." Enarr. in Ps. 118. ser. 4 n. 1.

— — 50: λόγιον — non "verbum," sed "eloquium." (It. Vulg.) l. l. ser. 15 n. 2.

— — 54: δικαιώματα — non "justitiæ," (δικαιοσύναι), sed melius (?) "justificationes." (It. Vulg.) l. l. n. 8.

Sap. 4, 3: μοσχεύματα, non "vitulamina."[44] (It. Vulg.), sed "plantationes."

---

44) "Qui error tam multos codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter scriptum." De doctr. chr. II. 18. *Sabatier* tamen ad l. l.: "multi Vulgatæ libri loco "spuria vitulamina" ferunt "adulterinæ plantationes."

Denique ex commentariis in Novum Test. exempla hæc accedant:

Joh. 8, 25: τὴν ἀρχὴν, explicat Aug. (rejecta interpretatione: "principium sum" (It. Vulg.) "principium me credite," addens: "quod in sermone græco evidenter apparet (casum accus. positum esse), ubi feminini generis est principium." (tract. in Ev. Joh. 38 n. 11).[45])

Joh. 18, 37: ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι. Vulg. "in hoc natus sum." De quo Aug. "non: in hac re natus sum, sed: ad hanc rem; in græco namque evangelio nihil est hujus locutionis ambiguum." (tract. in Ev. Joh. 115 n. 4).

Rom. 1, 3: γενομένου ἐκ σπέρματος Δαυΐδ. "in quibusdam exemplaribus lat. non legi factus," (It. Vulg.) sed "natus," quum Græca "factus" habeant." c. Faust. XI. 4.

In his observandis corrigendisque, si a paucis admodum discesseris, Augustinum verum feliciter assecutum esse, neminem fugit; quare tantum, si quid video, abest, ut ignarus linguæ græcæ dici debeat, ut res grammaticas bene edoctus et subtilis verborum indagator existimandus sit. At facile tamen patet, cognitionem hanc, quæ ultra elementa linguæ non prodeat, nullo modo sufficere ad libros græcos nedum eos, qui dialecto hellenistica conscripti sunt, intelligendos, utpote qui tum verborum

---

[45]) Cf. simile exemplum ex Ep. 149 n. 5: ad Ps. 16, 14: "filiis saturati sunt" — "inspexi codd. græcos, utrum dativus casus esset, quod dictum est" filiis, "an genitivus, quo illa lingua utitur pro ablativo, et inveni genitivum."

formas, tum notiones, tum denique construendi regulas alias sibique proprias habeant. Quod quidem hoc loco verbo indicare sufficiat.

De usu Augustini librorum sacrorum.

IV.

Canon Bibliorum.

Hæretici ex familiis Gnosticorum et Manichæorum, qui primis jam ecclesiæ seculis non tam unam alteramve evangelii doctrinam suo modo interpretabantur, quam fidei christianæ summam et cardinem in superstitionem mythologiæ orientalis transformare tentabant [46]), voluminibus sacris, optimo veritatis fidei præsidio, admodum se impeditos sollicitatosque senserunt; quare nil antiquius habuerunt, quam auctoritatem illorum ita frangere et imminuere, ut commentis et fictionibus suis facilius via panderetur. Ita vero non sine summa ecclesiæ utilitate hostiliter actum est, quoniam hæc ipsa temporum ratio a patribus ejus et doctoribus, ne officio deessent, postulabat, ut traditiones historicas a primis inde initiis repeterent et singula ejus testimonia explorarent ponderarentque, quo viâ hacce veritatis unice certâ de ambitu canonis librorum constaret, fictitii autem — auctoritate non singulorum hominum privata sed publica ecclesiæ — de loco quem occupaverant dejicerentur. In quo quidem studio et labore quum Melito, Irenæus, Origenes, Eusebius

---

[46]) Cf. *Walchs* Hist. d. Ketzereien I p. 217 ff. 730 ff. *Neander* genet. Entwickel. d. gnost. Syst.

alii præiissent, Augustinus ita secutus est, ut Manichæis inprimis se opponeret, certis regulis constitutis, quibus vagum et temerarium disputandi arbitrium coerceretur. Isti enim — quod verum exploratumque esset parum quærentes, modo quod sibi commodum et jucundum efficeretur — audaciæ eousque prodierunt, ut evangelia canonica ab apostolis conscripta esse negarent, alios autem nescio quos auctores fingerent, serius longe viventes, gloriam quasi ex nominibus captantes, ne sibi multa inepte fabulantibus auctoritas deesset[47]). Impiæ vero isti ingeniorum petulantiæ ita Augustinus occurrit, ut hanc quæstionem nullo modo ab arbitrio judicii singulorum, sed a rationibus historicis unice pendere moneat[48]), libros autem Veteris Test. canonicos, qui a

47) Testimonium Fausti verbis evidentibus expressum legimus in lib. c. Faust. XXXII. 2. XXXIII. 3. cf. Ep. 237 n. 2.

48) contr. ep. Manich. n. 6: "Si invenires aliquem, qui evangelium nondum credit, quid faceres dicenti tibi: non credo; *ego vero evangelio non crederem, nisi me cath. ecclesiæ commoveret auctoritas.*" Constat, apud scriptores catholicos verborum ultimorum hanc interpretationem vulgo receptam esse: Augustinum in rebus dogmaticis majorem auctoritatem decretis ecclesiæ quam effatis s. Scripturæ tribuisse. Aliud vero loci indoles docet; nam ex verbis, quæ proxime præcessere, quid evidentius est, quam Augustinum se exemplum proposuisse non hominis fidem chr. jam profitentis, sed hominis, qui ad fidem chr. adducendus sit; hîc autem negat effici posse fidem in evangelium, nisi persuasio de librorum authentia et integritate jam adsit, hanc vero adesse posse sine auctoritate traditionis ecclesiæ. Optimus igitur Augustini interpres *Melanchthon* est, qui: "non sentit Aug.", inquit, "majorem esse ec-

Jesu et apostolis confirmati fuerint, Novi Testamenti, quos ecclesia ab apostolis condita, serie episcoporum non interruptâ propagata, summo consensu tueatur, tantis historiæ præsidiis munitos esse, ut nullus majore; proinde, si tanta testimoniorum auctoritas non sufficiat, fidem historicam omnem corruere, neque unum facile librum esse, de cujus origine constare possit. In singulis libris igitur dijudicandis, eos in primo loco collocari jubet, qui communi omnium ecclesiarum consensu admittantur, deinde vero, si dubia et suffragiorum diversitates adsint, eos aliis præferri, quos plures et gravioris auctoritatis ecclesiæ recipiant [49]); denique, si libros alios ab ecclesiis pluribus, alios autem a gravioribus defendantur, æqualem auctoritatem utrisque concedendam esse existimat (de doctr. chr. II. 12).

Hæc vero quum ita proposita sint, ut distinctio librorum ὁμολογουμένων et ἀντιλεγομένων, quæ ab Origene et Eusebio recte et utiliter tradita fuerat, et comprobetur et indiciis confirmetur, subit certe mirari, Augustinum deinde in ambitu canonis ecclesiæ definiendo, a ratione doctorum superiorum, distinctione illa neglecta, omnino discessisse. Et

---

clesiæ auctoritatem quam verbi divini, sed sentit, ecclesiam esse doctricem et testem: non crederemus evangelio, nisi ecclesia doceret nos et testaretur, hanc doctrinam ab apostolis traditam esse." (Opp. II p. 125. Witteb. 1580).

49) Graviorem vero auctoritatem ecclesiis tribuit — non satis certe accurate — "quæ apostolicas sedes habere et epistolas accipere meruerunt." l. l.

primum quidem, ut a verbis minus accuratis et distinctis incipiamus, libri, qui in canonem ecclesiæ referendi sint, hi indicantur: Scripturæ Legis et Prophetarum, Evangelia, Epistolæ apostolicæ, Actus Apostolorum, Apocalypsis Johannis (de unit. eccl. n. 51). Accedit vero locus omnium gravissimus (de doctr. chr. 2, 13), qui luculenter docet, de singulorum librorum auctoritate quid judicaverit Augustinus. Totus autem Scripturarum canon his libris contineri dicitur: quinque libris Mosis, libro Josuæ, Judicum, Ruth, quatuor libris Regnorum, duobus Paralipomenon, libro Jobi, Tobiæ, Esther, Judith, duobus Maccabæorum libris, duobus Esræ; quibus omnibus res historicæ, etsi non ad continuum annorum ordinem diductæ, absolutæ esse dicuntur. Excipiunt eos prophetici, videlicet liber Psalmorum, Salomonis tres: Proverbia, Canticum Canticorum, Ecclesiastes, liber Sapientiæ et Ecclesiastes; duodecim Prophetarum libri singuli — pro uno tamen, quia separatim nunquam leguntur, habendi — et quatuor Prophetæ majorum voluminum. Novi Testamenti auctoritas continetur quatuor Evangelii libris, quatuordecim epistolis Pauli, Petri duabus, tribus Johannis, una Judæ et una Jacobi, Actibus Apostolorum et Apocalypsi Johannis.

In hoc autem librorum indice plura esse, quæ attentione digna sint, prima docet oculorum inspectio. Nam, ut hæc leviter attingam, in quibus ab ea quæ usu inter nos recepta est numerandi, denominandi, æstimandi ratione discedit: quod libri

Threnorum et Baruchi [50]) omissi sunt [51]), libri autem Samuelis et Regum uno nomine quatuor Regnorum comprehensi [52]), Esræ et Nehemiæ nomine duorum Esræ [53]), quod duplex tantummodo librorum classis posita est, historicorum et propheticorum, adeo ut poetici omnes prophetis adnumerentur [54]), quod libri denique Jobi et Tobiæ argumenti ratione inter historicos relati sunt [55]) — in his omnibus enim sive Judæorum sive aliorum ecclesiæ doctorum auctoritatem nostrum secutum esse,

---

[50]) *Orig.* (ap. Euseb. H. E. VI. 25): "*Ἱερεμίας σὺν θρήνοις καὶ τῇ ἐπιστολῇ ἐν ἑνί.*" (Ep. Jerem. autem libri Baruchi partem constituit). In vers. Alex. et Vulg. uterque etiam liber ad calcem orac. Jerem. rejectus est.

[51]) Tertium autem Maccabæorum librum, ab Aug. omissum, neque in vers. Vulg. receptum esse, neque ab ullo eccl. latinæ patre excitatum esse constat.

[52]) Sic pp. græci et latini, qui LXX secuti sunt, contra usum Judæorum: *Melito* (ap. Euseb. H. E. IV. 26). *Orig.* (ap. Euseb. l. l.): "*Βασιλειῶν πρώτη δευτέρα, παρ' αὐτοῖς ἓν Σαμουήλ,*" *Hieron.* (prol. galeat.): "Tertius sequitur Samuel, quem nos Regum I et II dicimus."

[53]) *Orig.* l. l. "Octavus Esdras, qui et ipse similiter apud Græcos et Latinos in duos libros divisus est."

[54]) Trilogiam inter Judæos et palæst. et alexandr. receptam: תּוֹרָה (*νόμος*), נְבִיאִים (*προφῆται* ɔ: scriptores historici et prophetæ), כְּתוּבִים (*ὕμνοι, ἁγιόγραφα, τα ἄλλα βίβλια*) apud Hieron. quoque invenimus: prolog. gal. "libri XXII: Mosis V, Prophetarum VIII, Hagiographorum IX." In catalogo autem, quem dederunt Melito et Orig., nulla indicata est librorum per classes divisio.

[55]) Proxime quidem assertio hæc niti videtur auctoritate vers. Alex., quæ epigraphen libri historicam habet, ex Peschito desumtam: Jobum fuisse regem in confiniis Arab. et Idum. regnantem, cui in Gen. 36, 33 nomen

aut certum aut probabile est —; sed hoc unum, quod maxime notandum est, novum omnino fuit, quod in Vetere Testamento, discrimine librorum canonicorum et apocryphorum sublato, omnes, prouti argumenti affinitas suadere videbatur, in eodem loco et ordine positi sunt. Ita vero, quum canon Novi Test. jam antea dilatatus esset, ut epistolæ antilegomenæ, a multis etiam Apocalypsis reciperentur [56]), Augustinus omnium, quantum constat, primus [57]) vincula, quibus codex Hebræorum constrictus fuerat, resolvere ausus est; in quo, quamvis rationibus historicis et criticis destitutus esset, obstarent etiam aliorum, qui eo tempore vivebant, doctorum suffragia [58]), tantum auctoritas ejus valuit, ut nova canonis forma publicis conciliorum decretis [59]) mox

---

est Jobab. Accedit, quod apud Ezech. 14, 14. Tob. 2, 12. Jac. 5, 11 exemplum Jobi ut personæ historicæ commemoratur. — De lib. Tobiæ vid. *Berthold* Einl. ins A. u. N. T. V p. 2477.

56) vid. *Berthold* l. l. I. p. 124. ff.

57) In eccl. græca *Cyrill.* (catech. 4 n. 33. 34. 36), *Athanas.* (Ep. festalis), *Epiphan.* (de mens. et pond. c. 23) — ut taceam suspectum canonem 60m. conc. Laodiceni —, qui conveniunt omnes in septem epp. catholicis admittendis, libros apocryphos a canone V. T. removerunt. In canonibus Apost. c. 85 (Coteler. I p. 448) tamen tres Maccabæorum libros canonicis adnumeratos invenimus.

58) *Rufin.* exposit. Symb. Apost. sub fin.: "sciendum est, quod et alii libri sunt, qui non canonici, sed ecclesiastici a majoribus appellati sunt." *Hieron.* prolog. gal. "quicquid extra hos (libros 22) est, inter apocrypha ponendum."

59) *Conc. Hippon.* can. 36 (a. 393). *Conc. Carthag.* III. can. 47 (a. 397).

sanciretur, neque multo post in ecclesia Latinorum communi fere consensu admitteretur. Ipse vero, ut divinam auctoritatem libris apocryphis vindicaret, eo maxime se adductum esse profitetur, quod et olim publicis lectionibus adhibiti fuerint[60]), et sic ipsi comparati, ut plurimum utilitatis ex studio eorum christiani capere possint; quare ecclesiam, improbantibus etiam Judæis, recte pieque eos ceteris adscripsisse affirmat[61]).

Inter libros autem nuper indicatos quia de multis, si auctores quæruntur, in utramque partem disputatum est et etiamnum quoque disputatur, videamus, quænam — pauca certe neque nisi occasione quasi stylo elapsa — Augustinus ad nodos difficiles solvendos attulerit. De longe plurimis autem, quorum authentia merito suspecta est, ita breviter et confidenter sententiam suam proposuit, ut eum vel dubia ipsum procul habuisse vel ea profligare vo-

---

60) Cf. Synops. Scr. S. *Athanas.* II. p. 58 (Colon. 1686): *"ἕτερα βιβλία τῆς αὐτῆς παλαιᾶς διαθήκης, οὐ κανονιζόμενα μὲν, ἀναγινωσκόμενα δὲ, μόνον τοῖς κατηχουμένοις."*

61) Speculum (in fine lib. Ezech.): "libros conscriptos ante Salvatoris adventum, non receptos a Judæis, recepit tamen ejusdem Salvatoris ecclesia." Contr. Gaudent. I, 38: "Scripturam, quæ appellatur Maccabæorum, non habent Judæi sicut legem et Proph. et Psalm., sed recepta est ab eccl. non inutiliter, si sobrie legatur vel audiatur." cf. de civ. D. XVIII, 36. De prædest. Sanct. n. 27: "non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in eccl. Christi de gradu lectorum tam longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles, poenitentibus, catechumenis cum veneratione div. auctoritatis audiri."

luisse constet. Exemplo hæc sunto: "in libris *quæ de se scripsit Moses*, num ita scripsit: dixi aut feci hoc vel illud, et non potius: dixit Moses et fecit Moses" (contr. Faust. XVII. 4) — "in tribus libris, *quos Salomonis esse constat*" (de civ. D. XVII. 20. 2. cfr. XX. 3) — "in secunda sua epistola *Petrus*" (de fide et oper. n. 22) — "in epistola canonica *Judas apostolus*" (de civ. D. XV. 23, 4) — "*Johannes Evangelista* in libro, qui dicitur Apocalypsis, locutus est" (de civ. D. XX. 7, 1). *Librum Psalmorum* quod attinet (de civ. D. XVII. 14) non illos solum improbat, qui Davidis non nisi ea carmina esse putarunt, quæ inscripta latine sunt "ipsius David" (ita in LXX Ps. 17. 26. 27. 28. 145), ea vero, quæ in titulo habent "ipsi David" (sic in LXX Psalmi LXXVII), ab aliis conscripta esse poetis ignotis, personæ vero regis aptata — neque illa certe distinctio textu Hebr. confirmatur, quum eodem modo nomen scriptum reperiatur "לְדָוִד", sic autem ut in vers. Itala ap. Sabatier et in Vulgata hodierna nunc reddatur "Psalmus David", nunc "Ps. ipsi D." [62]) —; sed, quod certe mireris, omnes qui extant psalmos centum et quinquaginta — non dicam contra argumenti indolem, sed contra fidem etiam titulorum, qui plurium auctorum nomina tradunt —

---

62) Quod monuit Bertholdus (Einl. ins A. u. N. T. V p. 1968), August. indicare voluisse diversitatem formularum hebr. מִזְמוֹר לְדָוִד "ipsius Dav.", et לְדָוִד מִזְמוֹר "ipsi David" parum probabile est, quum in vers. alex. verba "τῷ Δαυιδ" formulæ priori pariter ac posteriori respondeant.

Davidi auctori vindicatos voluit [63]). Quod vero aut nullum sæpius aut aliud in fronte nomen habetur, factum es se ex arbitrio regis putavit, qui carmen hocce nomine carere voluerit, illud autem ornaverit nominibus, quæ aliquid, quod ad rem pertinebat, figurare videbantur; neque magis eum movit, quod in vers. alex. psalmis nonnullis (137. 138. 146. 147. 148) nomina prophetarum Jeremiæ, Haggæi, Zachariæ inscripta vidit [64]), qui quatuor vel quinque seculis Davide serius floruere; imovero, quum intelligere debuisset, hæc nomina, in codice hebræo non expressa, stylo recentiori deberi, sive ex qualicunque de auctore hypothesi adscripta, sive quod traditione constabat, hæc carmina a prophetis illis usu solenni adhibita fuisse, hanc sufficere putavit observationem: potuisse Spiritum propheticum nomina ista Davidi revelare, ut, quæ eorum personis convenirent, canendo aptius exprimeret.

De aliis tamen libris nonnullis sententiam suam interponens, tutius arbitratus est judicium suspendere, atque ad veritatem propius accedere contigit. In *libro Josuæ* formulæ, quæ sæpius recurrit, "ad hunc usque diem" sensit quidem difficul-

---

63) Aliter jam *Hieronymus*, qui titulorum diversitatem observavit, hæc scribens (Ep. ad Sophron.): "Psalmos omnes eorum testamur auctorum, qui ponuntur in titulis, David scilicet, Assaph, Idithan, filiorum Core, Eman, Moysi et Salomonis et reliquorum, quos Esdras primo volumine comprehendit."

64) In vers. Itala ap. Sabatier accedunt ps. 64: "Psalm. Jeremiæ et Ezechiel profectionis", et ps. III: "Hallelujah conversionis Haggæi et Zachariæ."

tatem; quippe quæ indicare videatur; res gestas et narrationem rerum historicam longiore temporis spatio disjunctas esse; sed monuit idem subtilius quam verius: quum interdum hoc ita dictum reperiatur, ut unius modo hominis ætas expressa sit, formulam illam "aliquid ad hunc usque diem mansisse," nil sibi velle nisi hoc: "servasse rationem et ordinem semel constitutum" — ita "Rahab commorata est in Israel usque in hodiernum diem" (6, 25), dictum esse pro: "perpetuo, neque ad tempus modo, in Israele vixit" (Locutiones de lib. Jos. n. 6.) Ad alium vero locum, in quo narratio ad tempora recentiora apertius respicit — de "Gessuris et Machatis (populis canaaniticis) habitantibus in medio Israel usque ad præsentem diem" 13, 13, — observat neque sine linguæ tamen hæsitatione, præoccupando commemoratum esse, quod post mortem eventurum esse Josua spiritu prophetico edoctus fuerit; hoc modestius et dubitanter addens "*si ab illo* liber conscriptus est; vel *si ab alio* scriptus est, jam factum esse sciebat post mortem Jesu (Josuæ), quod in illo libro præoccupando commemoravit" (Quæst. in Judices n. 12). *Libros Sapientiæ et Siracidæ* nonnisi propter aliquam dictionis similitudinem ad Salomonem referendos esse docuit, negans etiam, inter doctiores esse, qui eos Salomoni tribuant auctori (de doctr. chr. II. 13. Speculum: in fine lib. Ezech.); sed quum ipse antea in sententia vulgo recepta substitisset, Siracidam utriusque libri auctorem esse (de doctr. chr. l. l.), deinde, melius edoctus, negavit hoc de libro Sapientiæ probabile

esse (Retract. II. 4, 2), prudenter quæstionem illam relinquendam in medio suadens (Speculum l. l. Op. imperf. contr. Jul. IV. 123). De reliquis auctoribus Hebræorum sacris nihil accuratius ab Augustino disputatum me invenisse memini, nisi quod traditionem illam seu fabulam potius dicendam, quam Hieronymus quoque a Judæis excepit (præf. in Mal.): nomen *Maleachi* appellativum esse (legatus meus), quo *Esra* honoris causa ornatus fuerit, semel commemoravit, neque tamen fidem ejus sublestam dissimulans (de civ. D. XX. 25). — Inter *libros Novi Testamenti* tres potissimum sunt, in quorum authentia et auctoritate defendenda firmandaque multus et sedulus fuit. Quum in *evangelium Matthæi* inceptam objectionem inde Manichæi petiissent, quod narratio de Matthæo ad munus apostoli vocato (9, 91) non prima persona sed tertia proposita est (contr. Faust. XV. 1), Augustinus similia loquendi exempla ex evangelio Johannis et Pentateucho adducit (l. l. n. 4), deinde vero, quum intelligeret, hæc argumenta in Manichæos parum valere, auctoritatem ecclesiæ opposuit, quam in nullo libro tuendo certiorem et constantiorem esse affirmat (contr. Faust. XXVIII. 2). Graviter autem eosdem accusat, quod *Acta Apostolorum* repudient, "timentes evidentissimam veritatem, ubi apparet Spiritus S. missus" [65]) (Ep. 237. de utilit. cred. n. 4. 7. contr. Faust. XIX, 31. XXXII, 15),

---

[65]) Manetem se παράκλητον jactasse, et quicquid de eo a Christo prædictum fuerit ad se traxisse, satis nota res est. Augustin. de hæres. c. 46. Cf. *Walch* Hist. d. Ketzereien I p. 731, 37.

tum ipse contestans, tum vero alios testes invocans, hunc librum canonicum "anniversaria solennitate post passionem Domini recitari" [66]) (tract. in Ev. Joh. 6, 18). De *epistola ad Hebræos* suffragia divisa quidem esse fatetur, sic tamen ut plures originem paulinam tueantur (de civ. D. XVI. 22), se vero auctoritatem ecclesiarum orientalium sequi, quæ eam inter libros canonicos habeant, idque eo magis, quod legisse se monet, esse qui, de baptismo parvulorum secus sentientes, ex illa epistola testimonia opinionum suarum repetant [67]) (de pecc. mer. et rem. I, 50. Op. imperf. c. Jul. 6, 22); hoc credo indicare volens, librum, qui anti-pædobaptistis favere videretur, nonnullis, quamvis sine justa ratione, suspectum videri posse. [68]) Neque hoc intactum relinquit (Exposit. ep. ad Rom. n. 11), salutationes in hac sola omnium epistola omissas in causa esse, quod alii eam in canonem recipere dubitent.

---

[66]) Cf. *Bingham* Orig. eccl. VI. p. 64. IX. p. 121. *Augusti* Denkwürdigk. aus d. christl. Archäol. 6ter Th. Pag. 109.

[67]) Respexisse videntur loca, in quibus institutio religiosa et professio fidei cum ritu baptismi conjungitur, ita 6, 1: *βαπτισμῶν διδαχῆς.* 10, 22. 23: *προσερχώμεθα μετὰ ἀληθινῆς καρδίας ἐν πληροφορίᾳ πίςεως, ἐῤῥαντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς· καὶ λελουμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ, κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ.*

[68]) Conferendum h. l. est, quod Hugius acute et subtiliter ut solet observavit: dubia de authentia hujus ep. orta esse inde, quod sectæ schismaticæ Novatianorum et Montanistarum dictis nonnullis (6, 4. 5. 12, 17) callide usæ sint ad extremam disciplinæ severitatem vindicandam. (Einl. ins N. T. II. S. 437).

Hi igitur libri, eodem quippe omnes nomine et honore digni, acrem habuerunt et intrepidum vindicem Augustinum, qui toto coelo distare ab iis monuit *libros apocryphos*, quibus Manichæos, dum sacras scripturas vel impia mente reprobabant vel manu sacrilega adulterabant, ceu integris et incorruptis fontibus fidem præstitisse vel simulasse constat.[69]) Istos autem libros, in quibus vera habeantur falsis mixta, imo fabulæ profana arte et impia fictæ vel exornatæ, sub nominibus prophetarum, Christi et apostolorum cum magno pietatis detrimento in ecclesiis circumferri monet,[70]) male et inepte a nescio quibus nugarum textoribus compositos, neque ullo ecclesiæ consensu signatos.[71]) Afferuntur ex numero eorum: liber quidam incognitus sive Chaldæorum sive Ægyptiorum, ex quo verba petita creduntur in Num. 21, 14 (Quæst. in Num. n. 42); — liber Enochi, quem A. non solum propter antiquitatem et quod in templo Hebræorum asservatus non fuerit, suspectum esse docet, verum negat etiam patriarchæ recte attribui posse ob multa, quæ inepte narrata sint de gigantibus eorum-

69) De dono persev. n. 26. de hæres. c. 46. contr. Faust. XXII. 79. de ser. Dom. in monte I. 65. Ep. 237.

70) De civ. D. XV. 23. contr. Faust. XXII. 79.

71) "Scripturæ *apocryphæ* nominantur eo, quod eorum occulta *origo non claruit* patribus" (de civ. D. XV. 23, 4). "Appellantur apocryphi, quia nulla testificationis luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum præsumtione prolati sunt" (contr. Faust. XI. 2. XXII. 79; de civ. D. XVIII. 38. XXXVIII. 4. de ser. Dom. in monte, I. 65. Tract. in Ev. Joh. 98 n. 8. Contr. advers. Leg. et Proph. I. 20.

que origine ex hominibus non deducenda[72]) (de civ D. XV. 23. XVIII. 38); — "hymnus, quem dicunt esse Domini nostri Jesu Chr." (Ep. 237); "epistola Christi, quam protulit Manichæus" (contr. Faust. XXVIII. 4); — libri, a Christo conscripti, et forma epistolarum Petri et Pauli nominibus prænotati, artes magicas continentes, quibus impie finxerunt Christum miracula patrasse; stylo vero ita sinistro eos exaratos esse dicit, ut risum vel pueris moveant[73]) (de cons. Ev. I, 14. 15); — "apocrypha scriptura, ubi Joachim pater Mariæ dicitur" (contr. Faust. XXIII. 9)[74]) — liber res gestas Apostolorum describens, cui titulus actus apostolorum, auctore Leucio quodam (de actis c. Felice II. 6); — liber de Thoma ap. hoc inter alia referens, eum homini, a quo palma percussus fuerit, atrocissimæ mortis supplicium imprecatum esse, anima tamen ejus Deo commendata (de ser. Dom. in monte I, 65. contr. Adimant. 17, 2. 5); — libri sub nominibus apostolorum Andreæ et Johannis conscripti. (contr. adversar. leg. et proph. I, 20);[75]) — apocalypsis Pauli, ad quam retulerunt quæ dixit P. in 2da ep. ad Cor. 12, 4: se raptum fuisse in tertium coelum,

---

72) Movit tamen Augustinum ita auctoritas epistolæ Judæ (vs. 14), ut hæc verba præmitteret: "negari non posse, Enoch divina quædam scripsisse, excitante Jehova."

73) Cf. Fabric. cod. apocr. N. T. I. p. 305 s. not. e.

74) h. e. Evang. de nativitate Mariæ — ap. Fabric. cod. apocr. N. T. I. p. 19–38.

75) Cf. contr. Faust. XXX. 4. Testimonia de evang. Thomæ, Johannis et Andreæ collecta vid. ap. Fabric. l. l. p. 131. ss.

ibique ineffabilia audiisse verba[76]) (tract. in Ev. Joh. 99 n. 8).

Codices librorum sacrorum.

V.

Quod Irenæus et Tertullianus jam ante Gnosticis, in primis vero Marcioni vitio graviter verterant,[77]) hoc eos impie et perfide in sacras litteras committere, ut, si quid minus commode doctrinæ ipsorum dictum videretur, aut textu omitterent aut interpolando corrumperent, hujus Augustinus sæpissime Manichæos reos facit atque declarat (contr. Adimant. III. 2. contr. Faust. XI. 2. XVIII. 7. XXII. 8. XXIII. 19. al.) Cui quidem fraudi turpissimæ ut obviam iretur, doctorum certe ecclesiæ erat textui sacro attentis oculis invigilare, ut, codices quamplurimos inter se conferentes, lectiones genuinas tuerentur, spurias autem et fictas, si quæ forte irrepsissent, luce critica repellerent. Operæ et diligentiæ, quam Augustinus huic labori impenderit, nullum quidem monumentum ære perennius exstat, imo ad opus arduum, si quid aliud, et molestum, quale Origenes et Hieronymus susceperint susceptumque absolverint,[78]) Augustino et eruditionem et assiduitatem defuisse putaverim; verum testantur tamen

---

76) Cf. Fabric. l. l. II. p. 945 ss.

77) Iren. adv. hær. I. 29. III. 11, 12. *Tertull.* adv. Marc. VI. 2, 5, 6. Cf. *Hahn* das Evang. Marcions in seiner ursprüngl. Gestalt S. 12. ff.

78) Neque tacendi sunt *Hesychius*, episc. ægypt., et *Lucianus*, presb. Antioch., quorum nil fere præter nomina ad nos pervenit. vid. *Hieron.* præfat. in Paralip. præf. in Evang. ad Damasum.

libri ejus, tantum abesse ut in commentariis exarandis lectiones temere, ut res ferebat, arripuerit, ut ex diversis codicibus tum græcum Novi Test. et versionis alexandr. textum integrum restituere, tum inter multas quæ aderant versiones latinas interpretationem aptissimam efficere laboraverit; neque ideo parum utilitatis libri Augustini attulerunt viris, qui temporibus nostris de textu sacro emendando purgandoque immortaliter meruerunt. Quali quantoque usus fuerit apparatu critico, accuratius quidem definiri nequit, ipse vero nobis auctor est, inter plures codices, quos legendo lustraverit, eos maxime se ante oculos habuisse, qui publicam habuerint fidem; [79]) quam diligenter autem eos vel ipse inspexerit, vel alios qui inspexere consuluerit, ut exemplis idoneis constet, neque injucundum videtur neque rebus criticis prorsus inutile, graviores in unum conferre symbolas, in quibus diversas proposuit codicum lectiones, adjecto interdum suo de unius alteriusve bonitate judicio.

Ex Novo Testamento:

Matth. 5, 22: ὁ ὀργιζόμενος εἰκῇ ("codd. græci non habent "sine causa."" (adest in It., d. in Vulg.) Retract. I. 19, 4.

— 5, 32: καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται (It. Vulg.) "nonnulli codd. et gr. et lat. non habent" de conjug. adult. I, 11.

[79]) Ep. 149, 3. 5. Quæst. in Gen. prooem.: "quum Scripturas sanctas, quæ canonicæ appellantur, legendo et cum aliis codicibus secundum LXX. intp. conferendo percurreremus." Retract. I. 7. 4. tract. in Ev. Joh. 104, 3. De consensu Ev. 2, 128: "codices ecclesiastici interpretationis usitatæ."

Matth. 5, 39: *δεξιάν σου σιαγόνα.* (It. Vulg.) "sic in exemplaribus gr., quibus major fides habenda est, invenitur; nam multa latina maxillam tantum habent" (de ser. Dom. in monte I, 58).

— 6, 4: *ἐν τῷ φανερῷ* "multa lat. exemplaria sic habent" (It., d. autem in Vulg.); "sed quia in græcis, quæ priora sunt, non invenimus, non putavimus, hinc esse aliquid disserendum" (de ser. Dom. in m. 2, 9).

— 7, 12: *ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι.* "in exemplaribus græcis sic invenimus; sed ad manifestationem sententiæ puto a Latinis additum *bona.*" (sic It., d. autem in Vulg.) ibid. 2, 74.[80])

— 10, 4: *Λεββαῖος, ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος:* "Matthæus Thaddæum appellat, nonnulli autem codd. habent Lebbæum" (sine cognomine Th. — It. et Vulg. Thaddæus). de cons. Ev. 2, 70.

— 27, 9: *διὰ Ἱερεμίου προφήτου.* "non omnes codd. evangeliorum habent, quod per Jer. dictum sit, sed tantummodo "per Prophetam"; — sed plures codd. habent Jeremiæ nomen, et qui diligentius in græcis exemplaribus Evangelium consideraverunt, in antiquioribus græcis ita se invenisse perhibent." (Sic It. et Vulg.) de cons. Ev. 3, 29.

Luc. 3, 22: *ὁ ἀγαπητὸς, εν σοὶ ηὐδόκησα.* "quod nonnulli codd. habent secundum Lucam, hoc illa voce sonuisse, quod in Psalmo scriptum est:" ego

---

80) *ibid.* optime hoc observatum est: "Intelligendum est ergo, plenam esse sententiam et omnino perfectam, etiamsi hoc verbum non addatur. Voluntas namque non est nisi in bonis; nam in malis flagitiosisque factis cupiditas proprie dicitur, non voluntas."

hodie genui te," — quamquam in antiquioribus codd. gr. non inveniri perhibeatur, tamen, si aliquibus fide dignis exemplaribus confirmari possit cet. (ita habet It.) de cons. Ev. 2, 31.

Joh. 1, 4: .. ὃ γέγονεν· ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν ... "emendatiores codd. habent (interpunctione sublata): Quod factum est, in illo vita erat s. est". (sic in cod. aliquo ant. It. contra lect. hodie et jure quidem receptam). de Gen. ad litt. 5, 32. tract. in Ev. Joh. 1, 16.

— 1, 16: καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος. "sic habent verba evangelii, collata cum exemplaribus græcis". (Al. om. καί) tract. in Ev. Joh. 3, 8.

Rom. 5, 14: τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας. "scio quidem, plerosque codd. lat. sic habere: .. "eos qui peccaverunt"; græci autem codd., unde in linguam lat. interpretatio facta est, aut omnes aut pæne omnes habent (negationem)". (sic It. et Vulg.) de pecc. mer. et rem. 1, 13. Op. imperf. c. Jul. 2, 185.

1 *Cor.* 15, 51: πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα. "græci codd. habent "omnes quidem dormiemus". Ep. 205 n. 14.

Gal. 3, 19: ὁ νόμος... διαταγείς. "De lege dictum est, quod tanquam de semine (præcesserat σπέρμα) dictum multi lat. codd. habent per interpretantis errorem; non sic habet apost., sicut veriores codd. post inspexi, maxime græcos". (Sic Itala: semen... dispositum). Retract. 2, 24.

Neque vero ea unice loca, in quibus lectionum diversitates expressis verbis annotatæ sunt, luce critica ex libris Augustini collustrantur; sed quum in commentariis (inprimis in evangelia et primam epist. Jo-

hannis atque in epistolam ad Galatas) inque sermonibus de verbis Domini et apostolorum habitis integram, neque raro eam per singula capita continuatam, versionem dederit, ad multa Sacræ Scripturæ loca, quorum integritas vexata est, codices Augustiniani consuli possunt et debent. E multis pauca sufficiat exempla afferre.

Matth. 6, 13: Doxologia post orationem Domini deest. De ser. Dom. in monte 2, 39.

Marc. 16, 9-20: adsunt in Ser. 233, 1. 239, 2.

Luc. 2, 14: *εὐδοκίας* legitur (ut It. et Vulg. — Griesb. *εὐδοκία*). Ser. 193.

— 3, 2: *ἀρχιερέων* (ut It. et Vulg. — Griesb. *ἀρχιερέως*). tract. in Joh. Ev. 113, 5.

Joh. 1, 28: legitur *Βηθανίᾳ* — tract. in Ev. Joh. 2, 10.

— 5, 4: "*Ἄγγελος* — *νοσήματι* vel saltem ad *ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ* defuisse, apparet ex his verbis: "Subito videbatur aqua turbata, et a quo turbabatur, *non videbatur; credas* hoc angelica virtute fieri solere." tract. in Ev. J. 17, 3.

— 8, 3-11: adsunt in tract. in Ev. J. 33, 4.

1 *Tim.* 1, 15: *πιςὸς ὁ λόγος*, sic Ser. 175, 1. 176, 1. 2. Sed in Ser. 174, 1: "humanus sermo."

— 3, 16: *ὃ ἐφανερώθη*, sic de Gen. ad litt. 5, 39. tract. in Ev. Joh. 72, 3. Ser. 204, 1. (Pariter It. et Vulg.).

1 *Joh.* 1, 1. Inscriptio Epistolæ: "ad Parthos"[81]). Quæst. Evv. 2, 39. Comm. in Epp. Joh. Exposit. op. ad Gal. n. 40.

---

[81]) Quia hæc inscriptio ante tempora Augustini apud nullum ecclesiæ scriptorem invenitur, neque ex historia

1 *Joh.* 5, 7: desunt. contr. Maxim. Arian. II. 3. (tract. autem in 1 Ep. Joh. desinit in primis cap. quinti versiculis).

Ex versionibus græcis, maxime alexandrina:

Gen. 5, 27: anni Methusalemi dicuntur fuisse 969, diluvium vero (8, 11) incidisse dicitur in a. 600^{mum} Noachi, qui Methusalemi annus est 955^{mus} (cf. 5, 25. 28). Hinc igitur "quæri solet, quomodo M. vivere (14 annos) post diluvium potuerit, quum omnes, præter eos, qui in arcam ingressi sunt, periisse dicantur. Sed hanc quæstionem plurium codicum mendositas peperit; non solum quippe in hebræis aliter invenitur; verum etiam in septuag. interpretatione Meth. in codd. paucioribus, sed veracioribus sex annos ante diluvium reperitur fuisse defunctus." Quæst. in Gen. n. 2. Adde de civ. D. XV. 13 n. 3: "in quibusdam codd. græcis tribus et uno latino et uno etiam syro inter se consentientibus inventus est M. sex annis ante diluvium fuisse defunctus" [82]). Alio vero loco (de civ.

constat, Johannem ad fines Parthorum institutionem extendisse, viri docti conjecturis ingeniosissimis originem hujus tituli explicare conati sunt; ita *Wegscheiderus* (Einl. in d. Ev. Joh. p. 37) scriptum existimat pro: ad Sparsos (ɔ: *προς τους ἐν τῃ διασπορᾳ*), *Hugius* autem (Einl. II. p. 226 not.) exstitisse ex prava versione græci: *προς παρϑενους*; quam quidem inscriptionem, antea secundæ ep. Joh. præfixam, ad primam transiisse putat.

[82]) Recte hoc observatum est. Plures enim Alex. versionis codd., in annorum computatione parum sibi constantes, ætatem Methus. indicarunt quidem annos 969

D. XV. 11) "certum est", inquit "non vixisse M. post diluvium, sed eodem anno fuisse defunctum, si verum est, quod de numero annorum in hebræis codd. invenitur" [83]).

Gen. 6, 2: *ἄγγελοι.* "nonnulli et lat. et gr. codd. non habent angelos, sed filios Dei" (ex textu hebr. Sic Theod. Vulg. — It. angeli Dei). Quæst. in Gen. n. 3.

Lev. 16, 16: *ἐξιλάσεται τὸ ἅγιον.* "in quodam græco invenimus: "exorabit sanctum", si tamen ille codex verior est, qui emendatior videbatur; quamvis et in tribus aliis codd. uno gr. et duobus lat. non invenerimus nisi: "exorabit pro sanctis". (sic It. *ὑπὲρ τῶν ἁγίων*? in Hebr. עַל־הַקֹּדֶשׁ. Vulg. recte: expiabit sanctuarium). Quæst. in Levit. n. 53.

— 25, 23: *εἰς βεβαίωσιν* (לִצְמִתֻת). "in profanationem; alii codd. habent "in confirmationem"; quam mendositatem (?) in alterutris prius in græco accidisse arbitror, propter verbi similem sonum; *βεβήλωσις* enim profanatio dicitur, *βεβαίωσις* autem con-

---

(5, 27) ita vero ut addant, cum ante filium natum vixisse annos 167, post eundem 782, qui annum efficiunt 949^{mum} h. c. annum sextum ante diluvium (955).

[83]) Eodem modo Hieron. (quæst. hebr. in Gen.) nodum hunc solvit, consentiente textu hebr.; nam, quum vers. alex. (5, 25. 28) annos habeat 167 et 188, qui, si annis Noachi 600 addantur, efficiunt a. 955^{mum}, in textu hebr. et Syr. Chald. Vulg. occurrunt anni 187 et 182, unde annus diluvii efficitur 969, h. e. idem, quo Meth. mortuus narratur. De diversis omnino in cod. Samarit. annorum numeris et de gravissimis difficultatibus chronologicis, quibus tabula hæcce genealogica premitur vid. *Vater* Comm. üb. d. Pent. I. p. 48 ff.

firmatio; sed ille sensus apertus est (?): terra non venundabitur in profanationem". (Sic It. — Vulg. recte "in perpetuum"). Quæst. in Lev. n. 90.

Jos. 9, 4: *ἐπὶ τῶν ὤμων*. "nonnulli codd. et gr. et lat. habent "super humeros suos", alii vero qui veraciores videntur "super asinos suos" (ex Hebr. sic It. Vulg.); similitudo enim verbi (*ὄνων*) in græca lingua mendositatem facilem fecit, et ideo latina quoque exemplaria variata sunt". Quæst. in lib. Jos. n. 12.

— 16, 10: *ἕως ἀνέβη Φαραὼ — τῇ θυγατρὶ αὐτου*. "Quod de Pharaone rege dictum est, miror si prophetice dictum intelligere debemus; — potius existimandum est, LXX intpp. . . . hæc addidisse, non tanquam futura prænuntiantes, sed quia illo tempore ipsi erant, quo facta esse meminerant. Quod ideo credibilius nobis visum est, quoniam inspeximus interpretationem, quæ est ex Hebræo, et hoc ibi non invenimus". (Des. autem, ut in contextu hebr., sic in Vulg., ads. in It.). Quæst. in lib. Jos. n. 19.

Ps. 16 (17) 14: *ἀπολύων* (ɔ: *ἀπόλλυων*?). "Unus cod. gr. habebat, quod et latini nostri: Domine, perdens de terra, alius: Domine, a paucis de terra". (It. Vulg. LXX in cod. alex. *ἀπὸ ὀλίγων*) [84]). Enarr. in Ps. 16 n. 14.

Ps. 67 (68), 32. 33: *προφθάσει χεῖρα τῷ Θεῷ. Αἱ βασιλεῖαι τῆς γῆς κ. τ. λ.* "Plures codd. lat. et maxime græci ita distinctos versus habent, ut non sit in eis unus versiculus: "Deo regna terrarum", sed

---

84) pro: *ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τοῦ κόσμου, τοῦ αἰῶνος τούτου.* hebr. מִמְתִים מֵחֶלֶד.

"Deo" in fine sit versus superioris; qua distinctione, multorum codicum et auctoritate digniorum consonantia sine dubio præferenda" cet. (Sic Masorethæ et Aqu. Symm. Vulg. — It. *Θεῷ* ad præcedentia refert). Enarr. in Ps. 67 n. 41.

Ps. 77 (78), 9: *βάλλοντες τόξον.* "nonnulli codd. gr. habere dicuntur" mittentes arcubus, "ut sine dubitatione subaudiamus sagittas". (Sic It.). Enarr. in Ps. 77 n. 9.

— 105 (106), 7: "codex, quem intuebar, sic habebat: "irritaverunt, adscendentes in mare, mare rubrum" (Vulg.); et his quidem duobus verbis ultimis stella fuerat prænotata, qua significantur quæ in Hebr. sunt, et in interpr. LXX non sunt. Plures autem codd., quos inspicere potui, et gr. et lat. sic habent: "et irritaverunt v. amaricaverunt, adscendentes in mari rubro". (It.) Enarr. in Ps. 105 n. 7 [85]).

— 118 (119), 176: *ζήτησον.* "nonnulli codd. non habent "quære", sed" "vivifica"; non quippe syllaba interest, qua inter se in græco distant *ζῆσον* et *ζήτησον*; unde et ipsi codd. gr. variant". (It. vivifica). Enarr. in Ps. 118 ser. 32 n. 7.

Ex versionibus latinis:

Gen. 1, 26: "secundum imaginem et secundum similitudinem", multi lat. codd. "ad". (It. et Vulg.). Locut. de Gen. n. 2.

— 6, 6: recogitavi וַיִּתְעַצֵּב אֶל־לִבּוֹ. Sic

[85]) Scilicet verba hebr. עַל־יָם mutata a LXX sunt in עֹלִים: *ἀναβαίνοντες.*

It. LXX καὶ διενοήθη. "nonnulli lat. codd. "poenituit". Locut. de Gen. n. 14.

Gen. 6, 16: "a latere", quod habent plerique codd. (Vulg.); nonnulli habent "ex transverso". (It.) ibid. n. 16.

Num. 11, 17: "auferam de Spiritu, qui est in te, et superponam super eos". Plerique lat. intpp. non ut in Græco est (τοῦ πνεύματος τοῦ) transtulerunt, sed dixerunt: "auferam de Sp. tuo, qui est in te" cet. (τοῦ πνεῦματος σοῦ), et fecerunt sensum laboriosum ad intelligendum". Quæst. in Num. n. 18.

— 16, 30: ""in visione" (φάσματι) quidam interpretati sunt "in hiatu"" (χάσματι) [86]. ibid. n. 28.

1 *Sam.* 15, 28: ""Disrupit Dominus regnum Israel de manu tua", (ex Hebr.) quod in plerisque lat. codd. legitur (Vulg.), non habet Scriptura, sed inventum est in græcis: "disrupit Dom. regnum ab Israel, de manu tua"". (It.) de civ. D. XVII. 7. 2.

Ps. 8, 3: "nonnulli codd." defensorem "(It.), sed verius "vindicatorem". (LXX ἐκδικητήν. Vulg. ultorem). Enarr. in Ps. 102 n. 14.

— 15, 3: "inter illos" (It.). plerique codd. "in illis". Epist. 149 n. 6.

— 16 (17), 14: saturati sunt porcinâ (It.). "sed alii codd. habent, et verius habere videntur, obscurius quidem, sed electiori sententiæ aptius: "saturati sunt filiis" (Vulg. ɔ: fructibus, operibus suis); ex am-

---

[86]) vid. supra p. 37.

biguo græco interpretatio duplex evenit". (ὑείων: ὑιῶν) [87]).

Ps. 43 (44), 22: "in libro de morib. eccl. cath. (c. 9) ubi posui: "propter afficimur tota die", mendositas nostri codicis me fefellit; nam ejusdem interpretationis alii codd. habent: "morte afficimur" (It.), quod uno verbo alii dixerunt "mortificamur" (Vulg.); hoc esse verius, gr. libri indicant," (LXX *θανατούμεθα*). Retract. I. 7, 2.

— 67 (68), 23: convertar (It.); "nonnulli codd. habent" convertam"" (Vulg. Hebr. אָשִׁיב). Enarr. in Ps. 67 n. 31.

— 70 (71), 15: "ubi alii codd. habent" negotiationes "(It. ex LXX *πραγματείας*), ibi alii" literaturam". (Vulg. ex hebr. סְפֹרוֹת ɔ: numeri). Enarr. in Ps. 70 ser. 1 n. 19.

— 77 (78), 17: in siccitate (It.). "alii codd. habent "in inaquoso" (Vulg.), quod de Græco est expressius". (LXX *ἐν ἀνύδρῳ*). Enarr. in Ps. 77 n. 14.

— — 31: occidit in plurimis eorum (It. plurimos), "nonnulli codd. habent "pingues eorum" (Vulg.), quod quidem "in græcis, quæ habuimus, non invenimus" [88]). l. l. n. 18.

— — 57: in arcum pravum (Vulg.). "alii codd. habent "in a. perversum" (It.). l. l. n. 34.

— 79, 11: intret ante conspectum tuum. "alii codd. habent "in consp. tuo gemitus compeditorum" (Vulg. ex Hebr. et LXX). Enarr. in Ps. 79 n. 15.

---

87) Hebr. יִשְׂבְּעוּ בָנִים ɔ: filii saturantur.

88) Hodie vero in LXX legitur *ἐν τοῖς πίοσιν αὐτῶν* (בְּמִשְׁמַנֵּיהֶם), unde prava exstitit lectio *πλείοσιν*,

Ps. 79. 13: in seculum (Vulg.) "alii codd. habent "in æternum". (It.). l. l. n. 17.

— 89 (90), 2: formaretur (Vulg.). "alii codd. habent "fingeretur". Enarr. in Ps. 89 n. 3.

— — 12: compeditos corde. "alii codd. habent eruditos corde" (It. Vulg. ex LXX, pro: sapientiam corde). l. l. n. 13.

— 89 (90), 17: "cui versui diligentes et docti prænotant stellam, quos asteriscos vocant, quibus significant ea, quæ in Hebr. vel aliis interpretibus gr. reperiuntur, in LXX vero interpr. non sunt" [89]). Enarr. in Ps. 89 n. 17.

— 104 (105), 23: "alii codd. "inhabitavit" (It.), sed melius interpretatum est "accola fuit"". (Vulg. ex LXX παρώκησεν). Enarr. in Ps. 104 n. 15.

— — 28: "in diversis codd. varie legitur; alii namque habent "et exacerbaverunt sermones ejus" (It. et LXX), alii vero "et *non* "cet; sed quod prius dixi, in pluribus invenimus; ubi autem addita est negativa particula, vix duos codd. potuimus reperire" (sic tamen Vulg. idque ex Hebr.) ibid. n. 20.

— 118 (119), 4: custodiri nimis. (It. Vulg.) "nonnulli codd. lat. habent "valde" (מְאֹד — σφόδρα). Enarr. in Ps. 118 ser. 4 n. 1.

— — 43: usque valde. "quidam codd. "usquequaque". (Vulg.) l. l. ser. 13 n. 3.

— — 121: "quidam "nocentibus", alii "perse-

89) Deesse hunc versiculum in ullo versionis alex. codice, nusquam observatum reperi; in codd. hebr. vero nonnullis apud Kennicottium et de Rossium psalmus qui sequitur a versic. illo incipit.

quentibus" (It.), alii "calumniantibus" (Vulg.) l. l. ser. 26 n. 2.

Ps. 118, 139: "plures codd. "Zelus meus" (Vulg. ex Hebr.), "alii Zelus tuus" (ex LXX), nonnulli etiam "domus tuæ". (It.). l. l. ser. 28 n. 2. [90]).

— — — "tabefecit" (Vulg.) alii codd. "comedit"". l. l.

— — 147: intempesta nocte. "plures codd. habent "immaturitate" (LXX, ἐν ἀωρίᾳ hebr. בַּנֶּשֶׁף — It. Vulg. in maturitate?); vix autem unus inventus est, qui haberet geminatam præpositionem" (ɔ: in immaturitate). l. l. ser. 29 n. 3.

— — 176: quære (Vulg. ex hebr. et LXX). "nonnulli codd. "vivifica"" (It.).

— 150 (151), 5: "paucissimi codd. sunt (quod quidem in nullo græcorum reperi, quos inspicere potui), qui habent Hallelujah in fine 150[mi] psalmi". Enarr. in Ps. 105 n. 1.

Eccles. 1, 2: "in multis quidem codd. legi "vanitas vanitantium", sed hoc græcus non habet, habet autem "vanitas vanitatum", quod postea vidi; et inveni, eos latinos esse veriores, qui ita habent". Retract. 1, 7. 4.

Hab. 3, 13: gaudebo in Deo salutari meo (It.) "quidam codd. melius mihi videntur habere "in Deo Jesu meo". Sic Theodot. et versio sexta. (Vulg. pro: Deo salutis meæ). de civ. D. XVIII. 32.

---

90) addit recte eod. l. "quod ex alio psalmo (68, 10), quantum mihi videtur, putatum est emendandum, ubi scriptum est: comedit me Zelus domus tuæ".

Matth. 1, 19: traducere (It. Vulg. ex gr. παραδειγματίσαι). "multi codd. habent "divulgare"". Ser. 51 n. 9.

— 5, 32: "alia exemplaria habent "quicunque dimiserit", alia "omnis qui d." (Vulg.), itemque alia "excepta causa fornicationis" (It. Vulg.), alia "præter causam forn.", alia "nisi ob causam forn."; item alia "qui solutam a viro..", alia "qui dimissam a viro" (It. Vulg.). de conjug. adult. 1, 11.

— 6, 13: ne nos inferas in tentationem. "nonnulli codd. habent "inducas" (Vulg.): — multi autem precando ita dicunt "ne nos patiaris induci"". (It.). De ser. Dom. in monte 2, 30.

Rom. 1, 3: factus est ex semine David (It. Vulg.). "in quibusdam exemplaribus lat. non legi "factus" sed "natus".

— 5, 14: eos qui non peccaverunt (It. Vulg.). "scio quidem, plerosque codd. lat. sic habere" eos, qui peccaverunt"". de pecc. mer. et remiss. 1, 13.

1 *Cor.* 5, 6: non bona gloriatio vestra (It. Vulg. ex Gr.) "per exprobrationem pronuntiationis "bona gloriatio vestra" sic nonnulli et maxime lat. codd. habent". contra ep. Parmen. 3, 5.

— 15, 51: omnes resurgemus (It. Vulg.). "alii codd. habent "omnes dormiemus"". (gr. πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα). de civ. D. XX. 3.

Col. 2, 18: culturam angelorum. "alii codd. habent "religionem ang." (θρησκεία). Ep. 149 n. 27.

ibid. quæ non vidit (Vulg.). "quidam codd. habent "quæ vidit". (It.) Ep. 149 n. 26.

1 *Tim.* 2, 1: obsecrationes (It. Vulg. δεήσεις).

"alii codd., in quibus et nostri sunt, habent "deprecationes"". l. l. n. 12.

1 *Tim.* 2, 1: orationes, interpellationes, gratiarum actiones. "plerique lat. codd. sic habent; quidam vero codd. non habent orationes sed "adorationes", pro interpellationibus autem "postulationes" (It. Vulg.). l. l.

2 *Tim.* 3, 1: "tempora sæva, vel, sicut alii codd. habent, "periculosa". Ep. 199 n. 22.

De usu versionum Sacræ Scripturæ.

VI.

Quum versiones, quibus libri sacri seculis jam antiquissimis linguis plurimis diversis expressi fuere, nobis inprimis ratione critica præclaro usu pretioque valent, ut locis corruptis medela certior afferatur, iis autem, quæ injusta suspicio premit, honor suus et auctoritas reddatur, antiqui ecclesiæ patres, quibus interpretis munus gravius visum est, idem vero difficilius, quam ut curis criticis multum temporis et studii relinqueretur, exegeticum versionum usum maximi æstimarunt; ut a multis, quibus idonea linguarum peritia deerat, non tam subsidia quam fontes etiam cognitionis haberentur. Episcopum Hipponensem vero ex iis fuisse, qui fidem nimiam versionibus illis tribuerint, ultro jam suspicabitur, qui meminerit, eum ipsa volumina sacra aut ne adire quidem potuisse aut certe non usu satis facili et frequente manibus versare.

Ex *versionibus græcis* igitur — ut de his primum breviter agamus — interpretationem Veteris Testamenti unice fere hauriebat. Neque illæ ei ignotæ erant, quas

Origenes jam prius in opem vocaverat [91]) — quamquam neque operis hexaplaris neque versionum, quæ nominibus sextæ et septimæ vulgo veniunt, in libris Augustini mentionem me invenisse memini —, in hoc uno erranti vel minus accurate loquenti, quod eos omnes, qui post Alexandrinos interpretationem dederunt, verbis litterisque mordicus adeo inhæsisse dicit [92]); quod quidem ut de Aquila recte monitum est, fortasse quoque de Theodotione [93]), sic liberius partes egisse et Symmachum et reliquos, quorum nomina occulta hodie jacent, inter omnes constat [94]). Neque certe probabile est, accuratiore usu Augustinum interpretes hos cognovisse; Aquilam, quem a Judæis ceteris anteponi monuit, (de civ. D. XV. 23 n. 3), semel iterumque modo excitavit [95]), idque adjectis verbis mo-

---

91) de civ. D. XV. 23 n. 3: "alii intpp., qui ex hebr. lingua in græcam sacra illa eloquia transtulerunt, sicut *Aquila* et *Theodotion*, sicut illa etiam est interpretatio, cujus auctor non apparet, et ob hoc sine nomine interpretis *quinta editio* nuncupatur".

92) de doctr. chr. 2, 22: "intpp., qui verbis tenacius inhæserunt". Ep. 28 n. 2: "illi, qui, quum posteriores (viris LXX) interpretarentur, et verborum locutionumque hebraicarum viam (vim?) atque regulas mordicus ut fertur tenerent, non solum inter se non consenserunt" cet.

93) Hexapla Orig. ed. Bahrdt. Prolegom. I p. 128: "licet Theodotio LXX interpretum vestigiis fere semper hæreat, Aquilæ non raro interpretationem adoptat".

94) l. l. p. 136: "dicendum restat, tres superadditas editiones longe liberiori interpretandi genere concinnatas fuisse, quam edit. Symmachi, qui tamen magis quam Aquila et Theodotio ab hebraica littera deflectit".

95) Quæst. in Gen. n. 11. in Num. n. 52.

destioribus: "perhibetur dixisse"; neque nisi paulo frequentius ad versionem Symmachi provocatum esse invenimus [96]).

Verum hæc omnia obiter, prout occasio ferebat; neque erat profecto, cur multum Augustinus desudaret in versionibus variis perlustrandis conferendisque, quum *versionem alexandrinam* adeo probatam sibi haberet, ut præsidium interpretationis omnium instar omnique numero absolutum præstare ipsi videretur. Quanta vero cum religione et ipse eam suspexerit, et alios ad eam recurrere inque ea subsistere jusserit, quam sollicitus fuerit de præstantia ejus celebranda, auctoritate efferenda, verbis dici vix potest, neque ipse ullo sermonis honore visus sibi est tanti oraculi majestatem modo sat digno prædicare. Quippe non solum multus et assiduus fuit in auctoritate ejus eximia commendanda, tuente frequentissimo apostolorum usu atque tanto postea ecclesiæ consensu, ut alias interpretationes usu recipere omnes recusarent, existere etiam multi nescirent [97]), verum neque narrationem de mira

---

[96]) Locut. de Gen. n. 20. de lib. Jos. n. 10. Quæst. in Gen. n. 11. in Num. n. 52.

[97]) de doctr. chr. 2, 22. Ep. 28. 2. 72 n. 6. de civ. D. 15, 11. 18, 43: "interpretationem LXX, tanquam sola esset, sic recepit ecclesia, eaque utuntur græci populi chr., quorum plerique, utrum alia sit aliqua, ignorant". Jam apud *Tertull.* (de præscript. c. 36), deinde apud *Hilarium* (comm. in Ps. 2. 118, 5.) unice authentica et legitima LXX virorum interpretatio sistitur; *Philastrius* vero (episc. Brixiens. sec. 4to) novam inde effecit notam orthodoxorum et hæreticorum (hæres. catal. c. 93. 94): "Sunt hæretici, qui Theodotionis et Symmachi itidem interpretationem diverso modo expositam

hujus versionis origine admittere inque suum usum convertere dedignatus est, (de civ. D. XVIII. 42) neque simpliciorem eam, quam habent Pseudo-Aristeas et Josephus (Antiqu. 12, 2), sed figmentis poeticis exornatam, præeunte Justino Mart. (cohort. ad Græcos p. 131 Colon. 1686), de cellulis separatis deque prodigio tot interpretationum in singulis verbis verborumque nexu et ordine consonantium [98]). At veritatem tamen hujus rei historicam non ita ei certam fuisse, ut omnis suspicio abesset, cum vocabulum indicat, quod addendum duxit, "traditur", tum alia etiam quæ occurrunt loca, ex quibus evidentius apparet, eum in hac traditione æstimanda sequendaque non semper sibi constitisse. Qui enim in epistola Hieronymo a. fere 394-95 scripta (28 n. 2) negaverat, audere se de miro horum interpretum consensu certam in aliquam partem sententiam ferre, neque non aliis locis scepticum hac in re prudenter egit [99]), in libris serius exa-

---

sequuntur, non illorum beatissimorum priorum (LXX), quam ecclesia cath. colit et prædicat."

[98]) Digna quæ cum hac Augustini credulitate conferatur libertas judicandi *Hieronymi* est, qui in præfat. in Pentat. hoc: "nescio" — inquit — "quis primus auctor 70 cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitaverint, quippe quum Aristeas et multo post tempore Josephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse".

[99]) de doctr. chr. 2, 22: "Qui *si*, ut fertur multique non indigni fide prædicant, singuli cellis etiam singulis separati quum interpretati essent, nihil in alicujus eorum codice inventum est, quod non iisdem verbis eodemque verborum ordine inveniretur in ceteris, quis huic auc-

ratis[100]) de afflatu divino, quo impulsi et acti viri illi scripserint, ita se certum declarat et profitetur, ut plane divinam omnique dubio majorem iis tribuat auctoritatem. Quare quum ab aliis compertum haberet, versionem alexandrinam sæpe a codice Hebræo ita discedere, ut sensus prorsus novus — si sensus dici potest — efficiatur, hujus autem rei difficultatem bene sentiret, nequaquam a se impetrare potuit, ut erroris, ne dicam mendacii, culpam admitteret, neque ab altera tamen parte audiendos esse voluit, qui Judæos reos facerent, quod libros suos impia manu et consilio maligno vitiassent, ut codicibus Christianorum auctoritatem vel detraherent vel certe minuerent[1]); parum probabile hoc esse objiciens, Judæos, dum aliis auctoritatem inviderent, sibi veritatem abstulisse, eosque, per omnes regiones dispersos, de hoc consi-

---

toritati conferre aliquid, nedum præferre audeat?" — imovero hoc addit: "si autem contulerunt, ut una omnium communi tractatu judicioque vox fieret", cet. — Enarr. in Ps. 87 n. 10: "LXX intpp., quorum auctoritas tanta est, ut non immerito propter mirabilem consonantiam div. Spiritu interpretati esse dicantur".

100) In editione longe accuratissima Benedictinorum libri de consensu Evangg. ad annum fere 400mum, de doctrina chr. inter annos 397 et 426, atque de civit. dei inter annos 413 et 426 referuntur. Doctiss. v. Esſ igitur temporum ordinem — nescio quomodo — permutavit, hæc habens (Gesch. d. Vulg. p. 88): "Aug. konnte von diesem Wunderglauben *anfangs* sich noch nicht lossagen, *bis* Hieron. laut gegen die einzelne Absonderung u. Inspiration sich erklärte, und es gerade zu ein Mährchen nannte".

1) *Justin.* M. dial. c. Tr. p. 310. *Orig.* hom. 16 in Jer. n. 10 (ed. de la Rue).

lio conspirare potuisse. [2]) In rebus igitur tam trepidis et difficilibus unicam viam eamque tutissimam arripuit, quam offerebat fides in divinam interpretum inspirationem: scilicet, quo prophetæ olim spiritu afflati fuerint, eundem in septuaginta viris operatum esse, ut omnes uno quasi ore divino oracula ediderint; [3]) neque hos igitur singulis verbis, hominum interpretum more, anxie servire debuisse, neque, sicubi ab exemplaribus hebræis liberius discesserint, id ex arbitrio suo fecisse, sed jubente et verba suggerente Spiritu sancto. Quo quidem auctore non solum verborum formulas ita sæpissime mutatas esse, ut sensus salvus idemque manserit, et voluntas scriptorum, alio quamvis modo, optime expressa sit; verum etiam, si quid alio omnino sensu dictum reperiatur, si hoc omissum illud additum, in his omnibus Spiritum divinum oracula prisca ingeniis Græcorum sapienter adaptasse, ut, quæ illorum usibus minus viderentur congrua, omitteret, quæ

---

[2]) De civ. D. XV. 11. 13 n. 1. Ep. 83 n. 34. Cf. *Hieron.* comm. in c. 6 Es.: "Quodsi aliquis dixerit, hebræos libros a Judæis esse falsatos, audiat Origenem (explanat. Esai.), quid huic respondeat quæstiunculæ: quod nunquam dominus et Apostoli, qui cetera crimina arguunt in Scribis et Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint, post adventum Domini Salvatoris et prædicationem apostolorum libros hebr. fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator et Evangelistæ et Apostoli ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi erant." *Sal. Glass.* philol. s. p. 15 ss. *Rich. Simon* hist. crit. du V. T. I. 18. 19.

[3]) Cf. *Ambros.* in Ps. 43 n. 74: "LXX virorum . . interpretationis testimonia de scripturis sunt nobis accensenda divinis."

necessaria, adjiceret, quæ luculentius dici posse viderentur, aliter exprimeret.[4]) Quæ quum ita sint, his, non tam versionibus dicendis quam oraculis continuatis, auctoritatem constare, qua superior nulla; fuisse quidem, qui dixerint, exemplaria græca esse ex codicibus hebræis emendanda, at neminem tamen ausum esse hoc opus suscipere vel ea textu eliminare, quæ, quum in libris hebræis desint, in græcis legantur;[5]) omnino vero, hac auctoritate posita, interpretationes latinas corrigendas esse, imovero eam ceu lapidem lydium usui communi inservire, quum nullo modo dubitari possit, quo propius interpres aliquis ad alexandrinos accesserit, eo accuratius eum veritatem assecutum esse.[6]) In his omnibus quum Augustinum coecum habemus versionis alexandrinæ laudatorem et admiratorem, nescio quomodo semel acciderit, ut in quæstionem propositam de dissensu frequentiore eam inter et codicem hebræum ratione critica inquirat, si non verum, at verius tamen in medium proferens, dum probabile censet, ex quo codices de bibliotheca Pto-

---

[4]) De cons. Ev. 2, 128. de doctr. chr. II. 22. IV. 15. Enarr. in Ps. 87 n. 10. de civ. D. XV. 14 n. 2. 23 n. 3. XVIII. 43.

[5]) De civ. D. XV. 14 n. 2: "LXX intpp. in plurimis, quæ diversa dicere videntur, ex hebr. codd. emendare ausus est nemo; non enim est illa diversitas putata mendositas, neque ego ullo modo putandam existimo." De doctr. chr. II. 22.

[6]) De civ. D. XVIII. 43: "profecto quisquis alius illarum scripturarum ex hebræa in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut congruit illis LXX intpp., aut, si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est."

lomæi describi cæperint, vitia calami irrepsisse, quæ latius paullatim manaverint; recte tamen observavit, hanc rationem non ubivis admitti posse, maxime vero ad loca ea pertinere, in quibus inconstantia quædam orationis errorem casu commissum arguere videatur. (de civ. D. XV. 13 n. 1).

Quum versio alexandrina tanta gauderet auctoritate, ut tempore magis quam dignitate a Scriptura hebræa distare videretur, multum tamen sine dubio abfuit, ut Augustino, latinæ linguæ adscripto, hoc interpretandi præsidium sufficeret; quare, si usus quæritur, primum et præcipuum locum dedit certe *versionibus latinis* Veteris et Novi Testamenti, quas manu diurna nocturnaque versasse videtur. His versionibus autem nil factum in libris Vet. Testamenti erat, nisi ut interpretatio græca commodius auribus latinis resonaret — tantum enim codex græcus usu et auctoritate hebræo per prima ecclesiæ secula præstabat, ut ad litteras hebræas redire nemo vel auderet vel necessarium duceret — ; ideoque communi usu et publico et privato in ecclesia latina receptæ sunt,[7]) in libris Augustini autem "codices *græci et latini* (de civ. D. XV. 13, 2) h. e. interpretatio LXX virorum sive græco sive latino sermone confecta, aut frequentiore nomine "codices *nostri*" dicuntur (l. l. XV. 10. 11. 14 n. 2). Illarum interpretationum vero quum tanta multitudo

---

[7]) De civ. D. XVIII. 43: "ex LXX interpretatione in lat. linguam interpretatum est, quod ecclesiæ latinæ tenent." XV. 11: "(codices), quos in auctoritatem celebriorem suscepit ecclesia." De doctr. chr. II. 16. Retract. I. 7. n. 2.

esset, ut numerari vix possent (de doctr. chr. II. 16), unam ceteris præferri jubet, *Italam*, ex patria credo nomen sortitam, quam perspicuitatis laude et fidei verbalis ita commendat,[8]) ut ipse certe, quæ ex libris sacris descripta sunt, ex illa scripsisse existimandus sit; neque immerito proinde viri, qui operam collocarunt in fragmentis versionis illius protrahendis et ab aliis ejusdem ætatis versionibus distinguendis, ad libros Augustini exegeticos ceu fontes uberrimos recurrerunt.[9])

Fuisse autem versiones illas latinas alias ita negligenter confectas, alias tempore labente ita paullatim corruptas, ut neque cum textu græco neque inter se constarent, cum alii queruntur ecclesiæ doctores[10])

---

8) De doctr. chr. II. 22: "In ipsis autem interpretationibus Itala ceteris præferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ." Cf. contr. Faust XI. 2: "Si de fide exemplarium quæstio verteretur, ex aliarum regionum codicibus, unde ipsi doctrina commeavit, nostra dubitatio dijudicaretur." Illas autem "regiones alias" Aug. intellexisse Italiam, ut in Itala criticam quoque præstantiam indicaret, est acuta neque improbabilis sententia doctiss. L. *van Ess.* (Gesch. d. Vulg. S. 20). — Varias conjecturas vero (quæ in eo conveniunt, quod nomen Italæ ex lectione corrupta ortum esse statuunt), ingeniosas magis quam probabiles, quia nulla h. l. conjecturæ necessitas adest, collectas vid. apud *v. Ess.* l. l. S. 21 ff. *Hug*, Einl. ins N. T. I. S. 438.

9) Bibl. sacr. versio vetus ital. ed. *Sabatier* t. I. præf. p. XIII. s.

10) *Hieron.* præf. ad 4 evang. "Si latinis exemplaribus fides adhibenda, respondeant quibus; tot sunt enim exemplaria pæne quot codices." *Ambros.* de Sp. S. II. 5: "Si quis de latinorum codicum varietate contendit . . . græcos codices inspiciat."

tum vero maxime Augustinus, qui arbitrii petulantiam eousque prodiisse testatur, ut vix aliquis ex versione latina verba excitare auderet, veritus, ne in codice græco aliud omnino haberetur (de doctr. chr. II. 10. Ep. 71 n. 6.). Ipse quidem medelam identidem se attulisse tradit, exemplaribus latinis ad fidem græcorum emendatis;[11]) sed quum inferiores tanti laboris pondere vires suas sentiret, ad Hieronymum se convertit multis obtestans, ut versionem septuaginta interpretum "veritati latinæ redderet," gloriam immortalem sic nomini suo paraturus (Ep. 71 n. 6. a. fere 403). Hic vero laborem istum detrectavit,[12]) idque eo magis quod jam ante multos annos (a. 384-391) opus amplioris ambitus peregerat, exemplaria latina inter se conferendo adque fidem textus hexaplaris revocando. Neque eo sibi Hieronymus satisfecerat, probe intelligens, piis ecclesiæ usibus non prius consuli posse, quam nova prodiret versio, quæ, relicta interpretum græcorum latinorumque auctoritate incerta, textum codicis hebræi et græci fideli accuratoque sermone exprimeret.[13]) — Illud opus vero, quod forti animo Hiero-

[11]) Ep. 261 n. 5: "codicem latt. nonnullas mendositates ex græcis exemplaribus emendavimus; etiam nunc quæ forte nos tunc præterierunt, si legentes moverint, collatis codicibus emendavimus."

[12]) Ep. 172 (in opp. Aug.) "Quandam latini sermonis in ista provincia notariorum patimur penuriam; et idcirco præceptis tuis parere non potuimus, maxime in LXX editione, quæ asteriscis verubusque distincta est."

[13]) *Hieron.* præfat. in 4 Ev. "Si veritas est quærenda de pluribus, cur non ad græcam originem revertentes, ea, quæ vel a vitiosis interpretibus male reddita, vel a præsumtoribus imperitis emendata perversius vel a librariis

nymus agressus est, subacto ingenio ita absolvit (a. fere 405), ut laudibus et coronis nullum dignius esset,[14]) tantum abfuit, ut omnibus se probaret, ut aliis nauseam, bilem aliis moveret, neque tantum e plebecula hominibus, quibus consuetudo lex esse solet, sed iis etiam, qui veri bonique arbitri constituti, reliquis voce et exemplo præire debuissent. Latratorum vehementissimum annales ecclesiæ Rufinum notarunt,[15]) cui, quamquam modestius se gerentem, Augustinum se adjunxisse, fatendum non sine pudore est. Is enim, quum versionis, quam dederat Hieronymus Novi Testamenti, æquum se exhiberet æstimatorem — quam et

dormitantibus aut addita sunt aut mutata, corrigamus?" apol. adv. Ruf. l. 3 p. 463: "mihi non licebit, post LXX editionem, quam diligentissime emendatam ante annos plurimos meæ linguæ hominibus dedi, ad confutandos Judæos etiam ipsa exemplaria vertere, quæ ipsi verissima fatentur, ut, si quando adversus eos Christianis disputatio est, non habeant subterfugiendi diverticula, sed suomet potissimum mucrone feriantur?" Cf. *Engelstoft* Hieron. interpres, criticus, exegeta p. 108 ss.

14) *Hieron.* ep. ad Ruf." quid ibi laboris insumserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quotiescunque cessaverim et contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam; et gratias ago Domino, quod de amaro semine litterarum dulces fructus carpo." Cf. *Engelstoft* l. l. p. 115 ss.

15) *Rufin.* invectiva in Hieron. II p. 444 "Quid facimus, quod quæ prophetarum nominibus titulantur, veriora hæc abs te, quam illa, quæ apostoli probarunt, affirmantur? istud commissum dic quomodo emendabitur? imo nefas quomodo expiabitur? . . . quis præsumat sacras scripturas, spiritûs voces et divina volumina temerare? quis præter te divino muneri et apostolorum hæreditati manus intulerit? cet." Cf. v. Ess. Gesch. d. Vulg. p. 110 ff. 118 ff.

veritatis laudem habere concedit, si a paucissimis iisque minoris momenti discesseris, et usu publico commode adhiberi posse, quum facile, prolatis et inspectis codicibus, dubia et suspiciones removeri possint (Ep. 71 n. 6) — laborem Hieronymi in Vetere Test. de Hebræo vertendo non inutilem modo, sed detrimenti etiam et periculi plenum declaravit.[16]) Hoc enim ante omnia reprehendit, quod a versione græca longius discesserit, neglecto signorum criticorum usu, quem in opere priore ita accurate observaverat, ut indicatum lectoribus esset, sive uberiores sive breviores scriptoribus hebræis interpretes alexandrini essent. Quid vero! — ita fere Hieronymum increpat — tu quæ emendanda corrigendaque tibi sumsisti, aut obscura sunt aut manifesta; si obscura, ipse sane falli potuisti; sin manifesta, quomodo credibile, interpretes antiquiores in iis errare potuisse! Tot autem tantasque auctoritates græcas et latinas damnari quis ferat, ut aliter in ecclesiis latinis, in græcis aliter lectiones sacræ instituantur? Denique vero, si forte de loco aliquo dubitatum vel disputatum fuerit, quis non videt, summum rei arbitrium penes te futurum esse, quum te solum consultum adire possimus, ipse vero non habeas, qui judex tibi sedere queat; nisi ad Judæos rem deferre placeat, qui timendum etiam est ne contra te testimonium ferant; certe constat, populum in urbe aliqua, audita interpretatione loci cujusdam ex libro Jonæ a solita versione diversa, tumultus excitasse, flagitantem, ut res accuratiore examine explora-

[16]) Ep. 28 n. 2: "de vertendis in latinam linguam litteris canonicis laborare te nollem."

retur; quo facto, interpretatio tua erroris convicta est, episcopus vero, populo cogente, ad antiquam versionem rediit (Ep. 28 n. 2. 81 n. 3. 4. 5.).

Hæc et alia similia his objiciendo, Augustinus pluribus jam epistolis sed frustra Hieronymum ad rescribendum provocaverat. Qui quidem diutius non sine ludibriis tergiversatus est, nunc dubia fingens, an epistolæ sibi missæ, subscriptione quippe carentes, genuinæ essent, rogansque, ut veriora exemplaria sibi mitterentur (Ep. 68 n. 1), nunc stomachum ridendo dissimulans [17]), jubens eum desinere tandem senem in cellula latitantem lacessere: militi grandævo scilicet, qui, dum licuit, neque sibi neque officio defuerit, otium deberi; adesse vero, si tantum desiderium sit vires exercendi vel doctrinam ostentandi, juvenes qui marte æquiore congredi cum ipso possint; libros Augustini quod attinet, se neque iis unquam operam dedisse, neque, si dederit, eum esse, qui aliena carpere cupiat [18]), quodsi quis autem eos discutere velit, facile esse probare, quantum ipse in interpretando a Græcis antiquis dissentiat; denique, ne timide

---

[17]) Accedit, quod fama delatum ad Hieron. fuit, epistolam aliquam Augustini, quasi Hieronymo scriptam, Romæ et in Italia per omnes manus currere, quum ad se solum non pervenisset; in qua multa ita scripta ferebantur, ut merita Hieronymi invidiosius extenuari viderentur. Vid ep. Aug. 67 n. 2. Hieron. ep. 72 n. 1. 2.

[18]) "hoc dico, non quod in operibus tuis quædam reprehendenda jam censeam; neque enim lectioni eorum unquam operam dedi, neque horum exemplarium apud nos copia est, præter Soliloquiorum tuorum libros et quosdam Commentarios in Psalmos" cet.

expavescens pacem implorare videatur, proverbii jubet eum meminisse: bovem lassum fortius figere pedem (Ep. 68. 72 in operib. Aug.). Postremo tamen senex morosus, quem blanda novæ Augustini epistolæ verba non tam demulserant, quam ad rescribendum commoverant, ad singula respondere dignatus est, lingua autem asperiore et alta gerens supercilia (in operib. Aug. Ep. 76 n. 19. 20). Quod reprehenderat Augustinus, novam versionem sine asteriscis et obelis editam esse, risum Hieronymo movit, quærenti an quod improbaverit satis ipse intelligat: signa illa nimirum, ab Origene usu recepta, ut mutua relatio indicaretur versionem alexandrinam inter et codicem hebræum atque versionem Theodotionis, debuisse quidem in priore versione, quæ ex Græco data fuerit, retineri, sed usu nullo omnino valere in altera, quæ ex Hebræo expressa sit, sensum veritatem potius quam verborum ordinem conservans; quid! quod, si tantus veterum amator et fautor esse velit, debere eum septuaginta viros, non quos Origenes tollendo supplendoque emendaverit, sed puros et integros legere, criticis quibusque signis expunctis. Dilemma syllogisticum autem, quod sibi opposuerat, Hieronymus miratur, quomodo non videat, in ipsum retorqueri posse: scilicet, quum ipse post tot tantosque viros ausus sit Sacram Scripturam commentariis illustrare, quid quæso eum præter superflua et inutilia præstitisse, si, quod aliquis scribendo prius occupaverit, de eo non aliis libertas disserendi constare debeat. Deinde vero, quum versio Novi Testamenti a se exarata laude digna judicata fuerit, non esse monet, quod integritati suæ in

Vetere Testamento vertendo diffidatur; ceterum in rebus dubiis jubens eum Judæos adire. Neque vero sine admiratione se, quod Augustinus narravit, legisse dicit: propter unius verbi dissonantiam tantos populi tumultus excitatos fuisse, ut episcopus sacerdotium perdiderit; suspicatur autem, locum fuisse in libro Jonæ IV. 6, ubi hebr. קִיקָיוֹן (ricinus) non cum septuaginta viris "cucurbita" (κολοκύνθα), sed cum Aquila "hedera" (κισσὸς) interpretatus est; quam quidem explicationem acrius defendit.

Id autem apologia ista effecit, ut Augustinus in epistola posterius Hieronymo scripta (82 n. 34) si non laboris at consilii tamen utilitatem concederet [19]; quamquam hoc ita concessit, ut satis constaret, quam recte negatum ab Hieronymo esset, eum Augustinum esse, qui de pretio meritoque operis illius æquum ferre posset judicium; nam quod aperte negare non ausus est, graviter tamen dubitandum esse docuit: in versione alexandrina alia prætermissa, alia corrupta esse, quæ curis criticis indigerent; nam sanctos viros errores inducere voluisse, incredibile esse, nolentes autem errasse, sine impietate admitti non posse. Post ea tamen Augustinum, ab aliis edoctum, ad saniora et æquiora judicia rediisse, docent libri annis serioribus conscripti; in quibus cum doctrinæ et veri-

19) "de interpretatione tua jam mihi persuasisti, qua utilitate *volueris* transferre de hebræis; ut scilicet ea, quæ a Judæis prætermissa vel corrupta sunt, proferres in medium. Sed insinuare digneris peto, a quibus Judæis, utrum ab iis ipsis, qui ante adventum domini interpretati sunt, et si ita est, quibus vel quonam eorum; . . illi autem cur hoc facere voluerint, non video".

tatis laudem versioni Hieronymianæ concessit [20]), tum vero ipse usu quandoque eam commendavit, nunc alias interpretationes, quæ cum solitis conferrentur, inde repetens [21]), nunc etiam varia loca ex illa describens [22]); imo in libro, cui nomen Speculum inscriptum, qui regulas ad vitam pertinentes ex libris V. T. excerptas habet inque unum collectas, versionem Hieronymi secutus est, credo ut usui populi pio melius consuleretur, planiore adhibita et faciliore interpretatione.

Quodsi quis autem non tam miratus fuerit, quam ægre et indigne tulerit, Augustinum, quo nemo ingenio perspicacior, judicio sagacior, in hoc uno hebetem et obtusum animum habuisse, equidem neque crediderim, eum, gloriæ alienæ invidum, famæ suæ consulere voluisse æmulum supparem sibi detrectando, neque vero eo superstitionis portento occoecatum fuisse, ut ver-

---

20) de civ. D. XVIII. 43: "temporibus nostris presbyter Hieron., homo doctissimus et omnium trium linguarum peritissimus, qui non ex græco, sed ex hebr. in lat. eloquium Scripturas convertit; ejus tam litteratum laborem Judæi fatentur esse veracem" . .

21) Quæst. in lib. Jos. n. 7. 15. 19. 25. in lib. Judic. n. 16. 21. Frequentius autem apud Augustinum commemorantur "codices hebræi", qui opponuntur "codicibus nostris"; illo vero nomine versionem latinam ex Hebr. confectam indicari, multa loca evidenter docent, ita de civ. D. XV. 11: "si verum est, quod in hebræis codd. invenitur". n. 12, 2: "poteramus hanc asseverationem ex hebr. codicibus redarguere atque convincere".

22) de doctr. chr. IV. 15: (Amos. 6. 1): "non secundum LXX inttp., sed sicut ex hebr. in lat. eloquium presbytero Hieron. utriusque linguæ perito interpretante translata sunt".

sionem alexandrinam vitiis immunem somniaret, vel nefas putaret, si quis ad limpidos codicum fontes recurreret. At enimvero quod non raro fieri videmus, ingenia ardentiora, nisi solers studiorum disciplina accedat, quæ impetum temperet cursumque dirigat, veritatem rerum simplicem et genuinam, quæ ante oculos quasi posita est, fastidire, majore studio autem ad eas sententias ferri, quæ sive novitate rei sive aliam quamcunque ob causam graves, utiles, jucundæ videntur, ut sibi aliisque eas argumentorum subtilitate probabiles faciant, id fere Augustino accidisse videtur; qui, quum timeret, si vetus corrueret auctoritas, ne omnia arbitrio relinquerentur, omniaque turbis et dissidiis plena fierent, tutius ac prudentius existimavit, veritatem tranquillitati immolare [23]). Hæc autem æterna neque infima sane studii veritatis commendatio est, quod argutias, summo etiam artis apparatu instructas, uno eoque levissimo ictu destruere valet, dum, missis ambagibus, ad

[23]) Ep. 82 n. 35: "Hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri potest, intelligant, propterea me nolle tuam ex hebr. interpretationem in ecclesiis legi, ne contra LXX auctoritatem, tanquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures et corda illam interpretationem audire consueverunt, quæ etiam ab apostolis approbata est". de civ. D. XVIII. 43: "Quamvis Judæi eam (vers. Hieron.) veracem esse fateantur, LXX vero interpretes in multis errasse contendant, tamen ecclesiæ Chr. tot hominum auctoritati neminem judicant præferendum, quia, etsi (ɔ: etiamsi) non in iis unus apparuisset Spiritus, . . . nullus iis unus interpres debuit anteponi".

quæstionem ejus, quod rerum naturæ vel rebus in facto positis conveniat, unice recurrit. Ita vero fieri non potuit, quin certam et facilem de adversario victoriam Hieronymus reportaret, non de eo multum disputans, quid utilius et securius videretur aut quid opinionum commentis probatius, sed hoc ab initio jam posito, veritatem primum quærendam esse, qua inventa, usum et fructum ultro adfuturum esse[24]. Neque vero id tacendum est, litterarum philologicarum in scholis theologicis hanc præcipuam esse utilitatem, quod vagas sæpe et dissolutas ingenii disputationes non sinunt ultra modum excurrere, sed, ad formas verborum dum animum revocant regulisque linguæ constantibus adstringunt, accurate inquirere, subtiliter distinguere, sobrie meditari docent[25].

VII.

De usu librorum aliorum exegeticorum.

Tertio jam et quarto ecclesiæ seculis — quum prima litterarum exegeticarum initia altius etiam

---

24) Hieron. ep. ad Marcell. "nos de intimo Hebræorum fonte libavimus, non opinionum rivulos persequentes, neque errorum, quibus totus mundus repletus est, varietate perterriti, sed cupientes et scire et docere, quæ vera sint". cf. *Cypr.* Ep. 74: "Consuetudo sine veritate vetustas erroris est." *Aug.* de Bapt. III. 9 (ex Liboso): "In Evangelio dominus: ego sum, inquit, veritas, non dixit: ego sum consuetudo; itaque, veritate manifestata, cedat consuetudo veritati".

25) Cf. *Rich. Simon* hist. crit. du V. T. III. 9: "Il est certain, que l'étude des langues rend un esprit plus exact,

repetenda sint — prolixiora in lucem prodierant opera exegetica, quæ, sive homiliæ sive commentarii dicta, singulis Veteris et Novi Testamenti libris interpretando lucem afferre tentabant, auctoribus in ecclesia græca præcipuis Origene, Eusebio Pamphilo, Basilio M., utroque Gregorio, Chrysostomo, in latina vero Hilario, Ambrosio et Hieronymo. Hæc quidem longe plurima cognita Augustino fuisse neque omnino ab eo neglecta, dubio caret [26]), nam ad eos eorumque libros non semel provocatum invenimus, inprimis autem in libris argumenti polemici; neque id sine consilio prudenti; hæreticos enim, quos opera doctorum illustrium extrema cum diligentia rimari videbat, ut ex iis testimonium qualecunque sibi conciliarent, armis illorum potius quam suis feriendos esse putavit. Ita in libris, qui contra Donatistas, contra Pelagium, Julianum eorumque sectatores inscripti sunt, testimonia interpretationis collecta habemus ex Irenæo, Epiphanio, Ba-

dans la recherche de la verité des faits, principalement quand on n'a pas étudié ces langues pour elles-mêmes, mais par rapport aux choses et aux verités, qu'on veut découvrir".

[26]) Cf. de doctr. chr. II. 59: "quidam de verbis omnibus et nominibus hebræis et syriis et ægyptiis, vel si qua alia lingua in Scripturis sanctis inveniri potest, quæ in iis sine interpretatione sunt posita, fecerunt ut ea separatim interpretarentur. — Multa, quæ a bonis doctisque Christianis elaborata atque conscripta non arbitrabamur, invenimus, sed sive propter turbas negligentium sive propter invidorum occultationes latent".

silio, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo — Hilario, Ambrosio, Philastrio, Cypriano, Hieronymo [27]).

Ista vero, doctores græcos quod attinet, non hausta esse ex studio profundiore et diligentiore, inde constat, quod ingenue confessus est, minorem sibi linguæ græcæ notitiam esse, quam ut volumina ampliora commodius lectitare posset (vid. supr. p. 30 s.); quid! quod eorum, quæ Origenes libris docuerat, ita fuit ignarus, ut indicatum sibi ab Hieronymo peteret, quibusnam inprimis sententiis a fidei veritate discederet (Ep. 40 n. 9). In libris latinis alia quidem res fuit; neque crediderim tamen, multum operæ Augustinum dedisse aliis perlegendis suumque in usum convertendis, adeo, ut videtur, ingenio suo confisus, ut præsidia aliorum ad sacros libros intelligendos minus curaret [28]); neque testimonia librorum, quæ cum tanta ambitione doctrinæque osten-

---

27) Præter opera illorum commemorantur *Eusebii* hist. eccl. ejusque versio græca auct. Rufino (de doctr. chr. II. 59. de hæres. 83) — *Didymi* lib. de Spir. S. (Quæst. in Exod. 25) — *Tertulliani* opera ("multa leguntur opuscula elegantissime scripta" de hæres. 86), cujus opiniones de physica animi substantia sæpius ludibrio habuit (de anim. II. 9. de Gen. ad litt. n. 72) — libri *Lactantii*, *Victorini*, *Optati* al.

28) Ep. 82 n. 24, 25: "Quum quæro tertium, ut tres ego tribus opponam, possem quidem, ut arbitror, facile reperire, *si multa legerim*; verum tamen ipse mihi pro his omnibus, imo supra hos omnes apost. Paulus occurrit; ad ipsum confugio, ad ipsum ab omnibus, qui aliud sentiunt, litterarum ejus tractatoribus provoco". de pecc. mer. et remiss. III. 12: "ego quamvis pauciora (Hieronymo) legerim".

tatione quæri solent, nisi rarius adhibuit, ut apud eos, qui magnis nominibus plus justo tribuebant, facilius fidem haberet[29]). Triumviri autem ex numero Latinorum sunt, quibuscum usu librorum assiduo familiaritatem majorem contraxit[30]): *Ambrosius, Cyprianus, Hieronymus*; quorum primum non secus ac patrem dilexit et veneratus est, ejus utpote sermonibus deliriis Manichæorum ereptus et sacro baptismi lavacro initiatus[31]); eo libentius autem ejus in Pelagianis impugnandis auctoritate usus est, quod summis et eruditionis et fidei laudibus a Pelagio cumulatus est[32]). Neque minus, in provincia præsertim Africæ, Cypriani nomen valuit, intrepidi libertatis Afrorum contra episcopum Romanum patroni; idem vero, acerrimus unitatis ecclesiæ vindex, gravissimas suppeditabat rationes et objectiones, quibus furores Donatistarum, ecclesiam

---

29) Ep. 147 n. 54: "Has sententias virorum tantorum (Hieron. et Ambros.) non ob hoc interponere volui, ut cujusquam hominis sensum tanquam canonicæ Scripturæ auctoritatem sequendum arbitreris, sed ut illi qui aliter sapiunt conentur mente videre quod verum est, ne tam doctos eloquiorum divinorum tractatores temere reprehendant".

30) Restringendum itaque est, quod *Semlerus*, et præter eum alii, nimium contendit: "Aug. hatte gar keine Belesenheit in den vorigen patribus". (in Baumgartens Unters. theol. Streitigk. III S. 249).

31) Confess. VI. 3-6. IX. 13, 14. Cf. Ep. 147 n. 52.

32) Op. imperf. contr. Julian. II. 102: "a Pelagio dictum: inter scriptores ecclesiast. flos speciosus enituit". Contra 2 epp. Pelag. IV. 11: "ipsum (Ambros.) ita Pelagius laudavit, ut ne ab inimicis quidem in libris ejus quod reprehenderetur diceret inveniri".

misere lacerantes, compescerentur [33]). Hieronymi autem tam varia erat et profunda in litteris etiam abstrusioribus eruditio, ut ad eum ducem et magistrum sæpe confugere cogeretur [34]) — et utinam sæpius confugisset[35]); sic enim multis, in Vet. præsertim Testamento, pepercisset nugis et hallucinationibus, in quibus hærere solent, qui, scientia rerum deficiente, interpretes agere volunt. Illis autem ingenii et doctrinæ luminibus addendum hoc loco nomen obscurius est, *Tychonii*, natione Afri, exeunte seculo quarto viventis; qui, quum sectæ Donatistarum nomen dedisset, adversus eos — invictissime, at ut Augustinus — postea scripsit. Hic vero primus omnium artem sacras Scripturas interpretandi legibus certis compre-

---

33) Cf. contr. 2 epp. Pelag. IV. 21. Ser. 310 n. 11.

34) de pecc. mer. et remiss. III. 12: "S. Hieron., qui hodieque in litteris ecclesiast. tam excellentis doctrinæ fama ac labore versatur. — Hunc doctiss. virum si facile interrogare possemus, quam multos utriusque linguæ div. scripturarum tractatores et christianarum disputationum scriptores commemoraret" cet. Ep. 72 n. 33: "in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est". Commemorantur autem varii Hieron. commentarii in libros Vet. et N. Test. Ep. 28 n. 2. 147 n. 53. 197 n. 1. De civ. D. XX. 25. De pecc. mer. et remiss. III. 12.

35) Recensionem vers. latinæ ad LXX ab Hieronymo castigatam (a. 384-391) Augustinus nondum a. 405mo, excepto libro Jobi (ep. 28 n. 2), cognovisse videtur. vid. Ep. 82 n. 34: "nobis mittas obsecro interpretationem tuam LXX interpretum, quam te edidisse nesciebam". Nova autem ex hebræo versio quum a. fere 403mo jam terminata esset, Aug. in epistola, quæ ad ultimas pertinere videtur, (261 n. 5) hoc scripsit: "Psalterium a S. Hieron. translatum ex Hebræo non habeo".

hendisse videtur, opusculo "septem regularum edito," quibus bene intellectis et clavium instar adhibitis, omnes putavit Scripturæ recessus aperiri, quicquid tropice et figurate propositum esset facile resolvi. Libellum hunce Augustinus judicio accuratiori subjecit (de doctr. chr. III. 42-56), dignum declarans, qui a studiosis litterarum sacrarum legeretur, caute tamen judicioque adhibito, quod notas quasdam erroris Donastici adspersas haberet, multa vero, quamquam bene, at minus tamen accurate dicta, neque ita plene, ut rem acu quasi tangerent vel tactam conficerent. Notavit denique vanitatem auctoris, qui tantum opusculo suo gloriabundus tribueret, ut septenario hoc regularum numero omnem difficultatem a Sacra Scriptura auferri existimaret; imovero, exemplis allatis, multas imagines ita illustrari posse et debere docet, ut regulis ab eo propositis locus et applicatio nulla sit. In hoc autem nil præter verum Augustinum reprehendisse, facile docebit regularum Tychonii index,[36]) quæ neque ullo principii fundamento superstructæ sunt, neque interno aliquo

[36]) I. de Domino et ejus corpore (h. e. nunc de Christo nunc de ecclesia sermonem esse, persona diversitate non accurate distincta) — II. de Domini corpore bipartito (h. e. de ecclesia ex bonis et malis hominibus mixta, neque vero distinctione illa apertis verbis semper indicata) — III. de promissis et lege (h. e. de spiritu et littera) — IV. de specie et genere (ɔ: synecdoche) — V. de temporibus (vel toto tempore pro parte posito et parte pro toto, vel certis numeris pro incertis) — VI. recapitulatio (h. e. repetitiones per hysteron proteron) — VII. de diabolo et ejus corpore (h. e. de diabolo et impiis hominibus sæpe sermone inter se mixtis).

nexu inter se conjunctæ, quin ita etiam compositæ, ut una alteri, prout nova interpretationis difficultas occurrerit, sensim sensimque addita et adjecta esse videatur.

SECTIO SECUNDA.

Augustini de ratione interpretationis S. Scripturæ consilia, præcepta, regulæ.

Affectiones S. Scripturæ:

VIII.

1. Auctoritas divina, normativa.

Quum annales litterarum ecclesiæ multas ostendunt theologorum scholas et familias, quæ in rebus exegeticis pariter ac dogmaticis diversa admodum institutionis principia, diversas interpretandi rationes professæ et secutæ sunt, hæc tanta diversitas repetenda denique videtur ex dispari de natura, indole et auctoritate sacrorum librorum sentiendi judicandique ratione.

Etenim qui Scripturam sacram compositam putant ex libris, ut multis aliis, bonis et utilibus fructuumque salubrium plenis, multa quippe in iis sanæ rationi convenienter, multa acute, concinne, pulchre dicta, quæ animi sensus sublimes rapiant, menti egregia vivendi consilia instillent, memoriæ alte se

et ultro infigant, — hoc inprimis agunt et agere debent, ut sacros libros iisdem regulis, quæ aliis omnibus libris valent, adstringant, interpretationem sacram a solita et consueta ne minimum quidem distare, iterum iterumque monentes. Solent igitur illi grammaticum verborum ac historicum sensum sollicite indagare et diligenter exponere, ut usus practicus facilius et luculentius sistatur; neque ita profecto sine magno lectorum fructu faciunt. Hocce labore enim, modo justa eruditionis copia, ingenii acumen et sincera voluntas adsit, multa egregie profici ad opinionum commenta et ægra somnia profliganda, ad ingenia solerti artis disciplina exercenda, ad multa S. Scripturæ ambigue et obscurius dicta collustranda, expedienda, definienda, concedunt qui cordatiores sunt omnes; neque historia dubitare nos sinit, prima sanioris interpretationis elementa, lætissimos philologiæ sacræ profectus iis deberi, qui oculo liberiore codicem sacrum intuentes, ad communes interpretandi regulas et leges theologos revocarunt. At enimvero, quod his in litteris gravissimum est, sacrum efficere sigillum, quod fidei religiosæ ita imprimi possit, ut de veritate ejus inter omnes constet, via ista nondum effici posse, quis non videt? quoniam qui volumina sacra non hoc animo accedit, ut suas qualescunque notiones auctoritate divina sancitas habeat, sed effata illorum ut suæ rationis assensu confirmet, neque profecto in libris sacris novi quid quærit, neque quod non quæsierit facile in iis inveniet. Accedit, quod, quum nullum neque cognoscendi fontem neque explorandi judicem æqua-

lem rationi agnoscat, primam hanc sibi legem posuit quicquid rationi perspectum fieri nequeat, mox repellendum esse; sed quum plenus et universalis sibique constans rationis typus, ad quem provocari possit, nunquam exstiterit neque usquam existat, quorsum denique confugiat, nisi ad suæ rationis arbitrium ceu supremam explorandi æstimandique normam? sed ita temere profecto res agitur, neque sine summo periculo, ne subjectivis quas vocant hominum singulorum sententiis veritas evangelica magis magisque cedat, quum vix et ne vix quidem fieri possit, quin interpretes, meliora etiam volentes, nihil ex verbis efferant, nisi quod ante ex ingenio suo intulerint, revelationis autem nil nisi nomen et umbra maneat.

His autem ex diametro quasi ii oppositi sunt, qui, dum Scripturam sacram revelationis fontem vere divinum submisse colunt et reverentur, hac lege eam hominibus datam existimant, ut omnis rationis usus, antea quidem utilis et necessarius, nunc superfluus imo pietati contrarius cessare debeat; perinde ac si hæc præcipua esset lucis divinæ utilitas, quod ea, quæ in homine intus lux est, exstinguatur, vel usu saltem pretioque pereat. Piis sensibus illos in libris sacris legendis commoveri et agitari, quis demum negaverit; sed, quum mentem obtusam ad legendum afferant et inter legendum obtusiorem etiam reddere conentur, verentes ne quid humani ex meditatione immisceatur doctrinæ coelesti, neque ex iis, quibus incalescit pectus, aliquem rationis et voluntatis fructum percipiunt, neque, si quem perceperint, cum aliis communicare possunt;

quoniam quod cogitando non concipi, neque loquendo exprimi potest. Nihil vero est quod in voluminibus sacris interpretandis — si interpretatio dici possit — magis fugiunt quam doctrinæ et meditationis usum subtiliorem, docentes litteras humanas animum a veritate divina avocare, imo nefas esse Deo loquenti succurrere quasi velle ejusque verba illustrando supplere; quare hanc primam et supremam legem pietati christianæ scriptam esse monent, in singulis singulorum locorum verbis hærere, neglectis regulis, quæ in libris aliis tractandis usu gravissimo valent. Nihilo tamen minus, qui vinculis arctissimis alios constringere volunt, ipsi hanc libertatem sibi servare solent, qua omnia quæcunque sub litterarum velamine profundius latere fingunt, magnâ adhibitâ arte eruant aliisque obtrudant — scilicet, rationi nihil omnino, phantasiæ nihil non licitum; — inde vero immensa prodiit mysteriorum, imaginum, allegoriarum cohors, quibus qui delectantur, hoc persuadere sibi videntur, quo magis quid judicio sano obstet, ratione justa fructuque salutari careat, eo magis Deo dignum habendum esse.

Ab utraque illa eorum agendi ratio diversa est, qui hac fide ceu fundamento studiorum nituntur, sacros libros oracula esse, quæ gratia divina hominibus revelaverit, ne ratio, inter tot tantasque vitæ vicissitudines relicta sibi, dubiis scrupulisque divisa misere fluctuaret, ne fidei quandoque languescenti deesset inter tenebras lux, inter procellas anchora, deesset denique copula visibilis, quæ, ut homines coelo adnecteret, sic inter homines civitatem conde-

ret religiosam, in qua, ad codicem divinum instituta et gubernata, mortalium studia et corda adverterentur Deo. Hi vero dum *verbi divini* auctoritatem tuentur et vindicant, non talem sistunt, quæ lucem rationis et litterarum bonarum exstingui somnoque inertiæ indulgeri sinat; imovero, quum providentiæ divinæ ita visum sit revelationis beneficium temperare, ut homini animi vires negligenti parum vel nihil prosit, iisdem vero recte utenti benigne succurrat, fugiunt vestigia eorum, qui pietatis esse dicunt rationi diffidere, litteras negligere, gratiæ divinæ totum se immergere, fore sperantem ut lux coelestis intus oboriatur, — et eorum, qui hanc esse dicunt veram interpretandi artem, omissis præsidiis, quæ usus loquendi sacrorum aliorumque scriptorum, temporum et rerum historicarum ratio afferunt, singulos litterarum apices urgere inque simplicitate litteralis sensus subsistere. Sed, dum hoc sibi persuasissimum habent, neque revelationem rationi magis quam Deum sibi repugnare posse, neque aliud esse præter rationem organon, quo verbum divinum percipi inque usum converti possit, idque eo melius, quo magis ingenii vires excultæ efformatæque sint, tantum abest ut revelationi divinæ suæ rationis modum obtrudere sustineant, ut caute admodum et sollicite, pietate suadente, usum rationis instituant. Quare, si quid ultra fines rationis humanæ remotum sit, non ide orationi contrarium censent; nihil vero magis caventes, quam privatis suis aliorumve sententiis ante conceptis ita confidere, ut singula Sacræ Scripturæ dicta ad istam normam revocentur, eique quomodo-

cunque fiat accommodentur. Eo autem, ut uno verbo dicam, interpres tendere debet, id summis viribus agere, ut Sacra Scriptura sibi vindicetur, quum tanto interpretum arbitrio per secula tradita et commissa fuerit, ut sui tandem interpres et arbiter fiat; eo autem ut conamine felice perveniat, totus litteris sacris incumbere debet, ut singula verba diligenter inquirendo, plura ejusdem argumenti effata sedulo conferendo, Hebræorum et Hellenistarum usum loquendi assidue consulendo, plenum et purum doctrinæ typum efficiat, atque cardinem rei, remoto figurarum involucro, pia castaque manu teneat; hæc tandem integra integræ veritatis forma verbis expressa erit, hæc norma cogitandi agendique, qua certior, salubrior nulla.

In tanta hac de re sentiendi diversitate, quamnam sententiam Augustinus amplexus sit, vix cuiquam dubium erit, qui meminerit, quam assiduus fuerit in erroribus juventutis deplorandis, quantaque cum lætitia sibi gratulatus sit de medela eorum et luce salutari in Sacra Scriptura denique reperta. Pleni proinde libri ejus laudibus sunt, quibus infinitum ejus pretium celebratur, pleni consiliis, quæ usum ejus pium et cordatum suadent atque commendant. Etenim scripturas illas præsidium esse docet, quo Deus Opt. Max. infirmitati hominum benigne succurrerit, ut, quod ratio viribus suis aut assequi aut tueri nequeat, voce coelesti edoceatur; esse igitur eas Deo volente summo in honore habendas, in supremo auctoritatis culmine sistendas[37]). Quare unam esse

[37]) Confess. VI. 8. XII. 32. Ep. 82 n. 3. 5. de civ. D. XI. 3.

in interprete virtutem, prius quam ingenii acumen quærendam, candidam animi pietatem, quæ vocibus divinis modeste se ita submittat, ut, si quid perspicua earum auctoritate firmatum sit, certum indubitatumque habeat, neque vero doctrinam, quod demonstratione probari nequeat, ideo mox rejiciat, neque contra expressa Dei præcepta quidquam vel statuere vel agere sibi licitum putet [38]. Nihil vero esse, quod cum pia verecundia minus conveniat, quam, quod faciunt Manichæi, libros sacros commentando ita discerpere, ut, quod commodum exoptatumque videatur, libenter admittas, quod auribus moleste sonet, incredulus repudies [39].

---

[38]) Ser. 51 n. 6: "Loquor vobis aliquando deceptus; quum primo puer ad divinas scripturas ante vellem afferre acumen discutiendi quam pietatem quærendi, ipse ego contra me perversis manibus claudebam januam Domini mei; quum pulsare deberem ut aperiretur, adibam ut clauderetur; superbus enim audebam quærere, quod nisi humilis non potest invenire". Ep. 147 n. 4: "Si divinarum scripturarum, earum scilicet quæ canonicæ in ecclesia nominantur, perspicua firmatur auctoritate, sine ulla dubitatione credendum est". de pecc. mer. et remiss. III. 7. de mendac. n. 26. de civ. D. XI. 3.

[39]) Vid. contr. Faust. XXXII. 6. 7: Faustus: "nobis Paracletus ex N. T. promissus perinde docet, quid ex eodem accipere debeamus et quid repudiare; — nihil ergo est, cur me omnia credere existimes debere, quæ continent evangelia". XXXIII. 3: "contemplantes omnia, et cum aliis alia conferentes, perpendimus, utrum eorum quidque a Christo dici potuerit necne". XVIII. 7: Augustinus: "Manichæus impiam docuit perversitatem, ut ex Evangelio, quod hæresin tuam non impedit, hoc accipias, quod autem impedit, non accipias".

Manichæos autem, iniquos et acerbos Mosaismi adversarios, nihil studiosius egisse, quam ut Veteri Testamento auctoritatem detraherent, nemini ignotum est, clamantes, libros foedæ superstitionis et impuritatis exemplis refertos esse, imovero dictis Jesu et Apostolorum et occultius refutari et apertius damnari, ut fides in Christum necessario fidem in Legem et Prophetas tollat[40]). Maligno oculo itaque libros illos perlustrare amabant, hoc quidem consilio, ut ex historia Lothi, Davidis et aliis injustitiæ, impietatis, impudicitiæ exemplis indignos eos esse probarent, quorum origo Deo accepta ferretur. His autem objectionibus singulis singula Augustinus opposuit, erroris manifesti eos aut impiæ fraudis coarguens; quæ quum hoc loco sigillatim nimis longum foret exponere, subsistemus in iis, quæ observata sunt ad pietatem utilitatemque librorum vindicandam. Primum attentos nos esse jubet, quam misere et indigne agant, qui, prætermissis plurimis istis, quæ laude et imitatione digna in sacris libris descripta sunt, oculos in iis defigere ament, quæ visu deformia sunt. Deinde vero, negans se eum esse, qui scelera et flagitia defendere velit, ideo Scripturam sacram virtutis et vitii, pietatis impieta-

[40]) Longam criminationum et blasphemiarum seriem Augustinus exhibuit in libris contra Faustum (vid. inprimis l. 6. 8-10. 12. 14-19. 22), in lib. contr. Adimantum, et in ll. contra adversar. Legis et Proph.: ita — ut unum exemplum sufficiat — verba Pauli (1 Tim. 1, 4. 44), quibus caveri jubet "profanas et aniles fabulas judaicas", impudenter contenderunt de libris V. T. dicta esse. (contr. adv. L. et Proph. II. 1).

tisque exempla unâ lineâ proposita habere docet, quo facilius homines, speculi quasi nitore mores hominum intuentes, bonum et malum distinguere, judicium exercere et exercendo acuere discant; ceterum, quæ simplici plerumque narratione exposita inveniantur, nulla judicii voce approbante, non sine extrema temeritate vel insania hominibus imitationi a sacris scriptoribus proposita existimari [41]). Hæc vero, quibus nescio an magis acute et apte nihil responderi possit, nondum sufficere videbat ad omnia dubia tollenda, quia ad difficiliora quoque exempla provocatum ab adversariis est, ita de Jacobo, qui mendacii fraude adjutus dignitatem consecutus est, de Juda post flagitium incestûs patratum solenni patris moribundi benedictione illustrato, de Israelitis furtum Deo jubente committentibus, de Rahab quæ mentiendo bene meruisse dicitur, al.; in quibus ipse Deus peccati auctor vel patronus sisti videbatur. Hic vero quum locus certe fuisset ea, quibus divina nititur oeconomiæ mosaicæ auctoritas, distinguendi a rebus historicis, quæ tantum abest ut regulas agendi constituant, ut vivam spirantemque imaginem exhibeant rationis hominum illius ævi cogitandi sentiendique admodum rudis et imperfectæ, tantum concedere non ausus est, ne sibi vel aliis videretur de divina oraculorum sanctitate detrahere. Frustra igitur in quæstione difficili solvenda desudavit; nam quæ proposuit, quam-

---

41) Contr. mendac. n. 21. 22. 29. Contr. Faust. XXII. 42. 45. 60. 66.

quam ingeniositatis et pietatis laudem habent, per ambages longius diducta sunt, neque nisi obscurum obscurius et impeditius reddunt. Multum enim interesse docet[42], utrum quis agendo cupiditati humanæ indulgeat, an Dei imperio pareat, qui novit, quid cuique facere patique conveniat; quare, quum Hebræi spolia auferentes Ægyptiorum nihil fecerint, nisi quod jusserit ipse Jehova, culpam abesse, nisi quis forte dixerit, gratum iis et jucundum præceptum illud fuisse; deinde vero observandum[43], ea, quæ in vita hominum considerata flagitia certe dicenda sint, ita esse in Sacra Scriptura proposita, ut mystici quid et prophetici habeant — sic Juda, regiæ tribus auctore, præfiguratum esse Christum in carne venturum —, neque igitur hæc nimis exigue et exiliter ad calculos justitiæ humanæ revocari debere. Sed hæc hactenus.

2. Veritas integra et perfecta.

IX.

Immunitas ab erroribus.

Scripturæ sacræ dum divina vindicatur auctoritas, neque vani honoris titulum indicamus, quasi hyperboles figura adhibita, neque mysticum splendoris coelestis nimbum inducimus, qui aciem oculorum obtundat; verum, ut piæ fidei usibus satisfiat, hoc constanter profitemur et contendimus: Deum sapientissimo consilio providisse, ut, quæ ad doctrinam fidei pertinent, omnia vera et integra nobis per sacram Scriptu-

---

[42]) Contr. Faust. XXII, 71. 72. Contr. mendac. n. 24. 26. 32.
[43]) Contr. mendac. n. 29. Contr. Faust. XXII, 42. 65.

ram tradita sint, ut inter tot opinionum commenta, dubia et dissensus plena constet nobis lux revelationis, certa fidei vitæque magistra; ita vero, auctores etsi homines habemus, humana voce loquentes, sua quemque ratione, suo stylo utentes, augustum et æternum numinis oraculum auribus resonare credimus. Sic Augustinus, cui inanis tumidi turgidique sermonis strepitus parum placebat, non multum operæ temporisque consumsit in majestate Scripturæ sacræ ineffabili et infinita verbis efferenda, sed, propius rem aggressus, diligens et assiduus fuit in iis refutandis, quæ futili plerumque frivolaque lingua Scripturæ opponebantur, ut certum omnibus et persuasum esset, hunc verbi divini usum eximium esse, quod integra et perfecta veritas hominibus pateat, tantum vero libro scripto tribui non posse, nisi Deo singulari modo acceptus feratur.

Hîc vero primum in quæstionem incidit *de veritate evangeliorum*, deque ratione ea conciliandi, in quibus singula inter se vel dissentiunt vel dissentire videntur, quæstionem difficilem quidem, neque difficiliorem tamen, quam ut solvi fide et pietate salva possit. Neque Augustinus is erat, qui pium putaret, si quid dubitationi locum præbere posset, silentio premere aut velo artificioso condere, hoc potius intelligens doctorem egregie decere, iis explorando discutiendoque obviam ire, quæ revelationis auctoritatem suspectam reddere possent, ut fidem muniret et tueretur, a commentis superstitionis et credulitatis purgatam, ab impetu incredulitatis et scepticismi securam; timide nimirum expavescere, si lucem meditationis

admoveri videat, et subtiliorem de rebus religiosis disputationem ceu profanam et sacrilegam subterfugere, quid est nisi argumentis fidei desperare? Noster itaque, in veritate Evangeliorum tuenda, tantum aberat ut oculis clausis — quod multi suadent, certe tum quoque suadebant — diversitates singulorum librorum negaret, ut ipse etiam eas oculis exponeret aliosque, ut sedulo inquirerent, auctor esset.

Primum enim, si consilium omnino et ratio tractandi quæritur, bene observavit, quantum a reliquis tribus evangelium Johannis discedat, non solum quod, contemplativam potius quam activam indolem præ se ferens, sermonibus a Christo habitis diutius quam rebus mire et salutariter gestis immoretur[44]), verum eo inprimis, quod Johannes, penna quasi audaciore vectus, divinam Christi naturam ante oculos sistere laboret, quum a prioribus tribus ea maxime memoriæ prodita sint, quibus loquendo, agendo, patiendo homo de hominibus bene meruerit[45]). Neque id solum, sed observavit idem, multis numeris et partibus, si placet per singula ire, evangelia nostra inter se dis-

---

[44]) de cons. Evang. II. 94. Specul. de Ev. Joh. epilog.

[45]) de cons. Evv. l. 6. 7: "Tres Evangelistæ in his rebus maxime diversati sunt, quas Chr. per humanam carnem corporaliter gessit; porro autem Johannes ipsam maxime divinitatem Domini, qua Patri est æqualis, intendit, eamque præcipue suo evangelio commendare curavit. Itaque longe tribus istis superius fertur, ita ut hos videas quodammodo in terra cum Christo homine conversari, illum autem transcendisse nebulam, et pervenisse ad liquidum coelum". de ser. Dom. in monte I. 11. In ev. Joh. tract. 36 n. 5.

paria esse. Quamquam enim Augustinus, antiquiorem ecclesiæ traditionem secutus, Evangelistas quatuor scribendo docuit unum alterum eodem ordine excepisse, quo nomina canone nostro tradita habentur, idque sic, ut qui serius scripserit prioris librum neque ignoraverit neque usu neglexerit [46]) — Marcum etiam pedissequum et breviatorem Matthæi appellavit, etsi aliis locis eum Lucæ magis congruere monuit [47]); — ita tamen docet singulos suum tenuisse in rebus enarrandis disponendisque consilium et rationem, ut alia prætermissa, alia addita sint, alia vero aliter narrata vel ad aliud tempus relata; unde evidenter appareat, verba singula, quibus usus fuerit Christus, non semper in evangeliis accurate, non in omnibus saltem, servata esse (l. l. I. 4. II. 29.) In hoc autem egregie monet, quam nihil omnino sit, quod nos turbare deque fide evangeliorum sollicitos reddere debeat: esse enim non in ductibus formisque litterarum, sed in tota orationis compage veritatem quærendam; quare in aliquantula verborum diversitate, dummodo animus et voluntas loquentis expressa fuerit, ineptius nihil esse quam de falsitate sermonis clamorem tollere; [48]) imovero, admirandam

---

46) de cons. Evang, I. 5. 4. Matthæum vero hebraice evangelium scripsisse, pariter ex traditionis auctoritate affirmavit. I. 4. II. 128. 157.

47) l. l. I. 4. de ser. Dom. in monte I. 11.

48) l. l. II. 29: "utilis modus et memoriæ maxime commendandus, non esse mendacium, quum quisque, etiam dicens aliquid aliud, quod etiam ille non dixit, de quo aliquid narrat, voluntatem tamen ejus hanc explicat, quam etiam ille, qui ejus verba commemorat."

esse hac in re sapientiam divinam, qua ii, qui veritatem in apicibus litterarum hærere somniant, melius edoceantur, [49]) iis autem præsidium paretur, qui liberius — ut licet et decet — de rebus religiosis statuunt, neque certis formulis verborum ceu lege dictatoria sancitis constringi se patiuntur; olim quidem eos suspicionem impietatis incurrere potuisse, jam vero exemplo evangelistarum optime defendi. [50]) Denique — quod non ultimo loco monendum — in mutua illa evangeliorum ratione, qua una res alio loco aliis verbis narratur, præsidium interpre-

[49]) II. 29. 66, 67: "*Per hujusmodi Evangelistarum locutiones varias sed non contrarias rem plane utilissimam discimus et pernecessariam, nihil in cujusque verbis nos debere inspicere nisi voluntatem, cui debent verba servire, — ne miseri aucupes vocum apicibus quodammodo litterarum putent ligandam esse veritatem, quum utique non in verbis tantum, sed etiam in ceteris omnibus signis animorum non sit nisi ipse animus inquirendus.*" II. 128: "*ne putemus, quasi consecratis sonis ita muniri veritatem, tanquam Deus nobis, quemadmodum ipsam rem, sic verba, quæ propter illam sunt dicenda, commendet; quum potius ita res, quæ dicenda est, sermonibus, per quos dicenda est, proferatur, ut istos omnino quærere non deberemus, si eam sine his nosse possemus, sicut illam novit Deus.*"

[50]) l. l. II. 28: "Quisquis dicit, Evangelistis certe per Sp. Sancti potentiam id debuisse concedi, ut neque in genere verborum neque in ordine neque in numero discreparent, non intelligit, *quanto amplius Evangelistarum excellat auctoritas, tanto magis per eos fuisse firmandam ceterorum hominum vera loquentium securitatem, ut, pluribns eandem rem forte narrantibus, nullo modo quisquam eorum de mendacio recte arguatur, si ab altero ita discrepaverit, ut possit etiam evangelistarum exemplo præcedente defendi.*" Cf. n. 86.

tandi non exiguum adesse (II. 31). Verum ne discrepantia ista finibus justis carere videretur, errorem ullum admitti posse negavit, bona etiam fide commissum; ideoque, si quid contra veritatem vel etiam auctoritatem divinam dictum videretur, omnia tentari jussit, ut erroris suspicio profligaretur: aut codicem mendosum existimandum esse, aut interpretationem aliam quærendam, aut, si neutrum liceat, in medio rem, ceu ratione humana superiorem, relinqui debere.[51]) Hoc autem necessarium visum est inprimis contra Manichæos fortius urgere, qui, ubicunque in rebus gestis vel orationibus Jesu aliquid dictum est contra id, quod verum et honestum ipsis videbatur — præcipue quum religionis et codicis sacri Hebræorum mentio honorifica occurrit — errorem Evangelistæ mox evictum esse clamabant, in hoc etiam singularem affectantes pietatem: "rectius videlicet esse scriptoribus adscribere falsitatem, quam veritatis auctori mendacium" (sic Faustus, vid. Aug. c. Faust. XVI. 11. XVII. 1. 3). Quibus recte objicitur, omnem librorum usum perire, si, qui tanta populorum religione confirmati sunt, tanto temporum hominumque consensu roborati, ne vulgaris quidem historiæ fidem ac gravitatem habeant (de morib. eccl. cath. I. 60. Ep. 82 n. 7), omnem vero narrationis evangelicæ veritatem everti, si libri illi, fidei fontes

[51]) Ep. 83. n. 3: "Scripturarum libris didici hunc honorem timoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam." In Ev. Joh. tract. 112 n. 1: "credat antequam sciat, nihil ab aliquo evangelista esse conscriptum, quod vel ipsius vel alterius non minus veraci narrationi possit esse contrarium."

et columnæ ecclesiæ, coeco et protervo hominum arbitrio obnoxii fiant (contr. Faust. XVI. 11). Ipse vero, nequaquam scriptores sacros sibi relictos fuisse docet, sed ita vi numinis adjutos, ut in narratione texenda et ordine temporum instruendo nihil scripserint, nisi quod memoriæ ipsorum Deus suggesserit (de cons. Evv. II. 51. 90. III. 48).

Adversariis autem, qui non tam subtiliter disputando quam ex locis evangeliorum inter se collatis dissensum probare conabantur, necessarium erat ita occurrere, ut singula quæ objici solebant opera data refutarentur; hoc autem consilio libros Augustini *de consensu Evangeliorum* exaratos esse, ipse titulus docet; quonam vero cum successu rem egerit, exemplis nonnullis apparebit. [52])

Quæ allata in illis libris sunt ad evangelia amice inter se concilianda, commode ut videtur — etsi ab auctore ipso non indicatæ et distinctæ sunt — ad has quæ infra sistentur observationes revocare licet:

---

52) Ser. 240 n. 1: "Ut ostendatur evangelistas omnes quatuor non inter se dixisse contraria, valde operosus est labor; nonnulli enim putaverunt, eos inter se esse contrarios, quum ipsi essent contrarii animæ suæ, et ideo data est opera ab iis, qui potuerunt, adjuvante Domino, ut ostenderentur inter se non esse contrarii." Tendunt eodem varii etiam Augustini sermones, inprimis L^ma: de concordantia Matthæi et Lucæ. *Eusebius* vero jam auctor fuit libri περὶ τῆς τῶν εὐαγγελίων διαφωνίας, et inter opera *Ambrosii* liber occurrit, quamquam spurius vulgo habetur, inscriptus: Concordia Evang. Matth. et Luc. Alios patrum ejusdem argumenti libros diligenter recensuit *A. H. Niemeyerus* in prolus. de Evangelistarum in narrando J. Chr. in vitam reditu dissensione. 1824.

I. *Multa verba non uno sensu occurrunt, diversis locis diverso modo intelligenda.* (II. 72. 74). Ita: "nolite pueri esse" et "pueri estote!" — "stultus fiat, ut sapiens sit" — "alter alterius onera portate" et "suum quisque onus portet." al.

Hac tamen observatione, qua nulla neque verior neque aptior, non raro Augustinus, nimia subtilitate ductus, abusus est ad verum et genuinum sensum turbandum:

{*Matth.* 13, 10: baculum non ducite vobiscum.
{*Marc.* 6, 8: nil ducite vobiscum, nisi baculum modo.

Hic Aug. (l. l. II. 72): baculum priore loco proprie sumendum esse, secundo vero symbolice de potestate apostolorum sumtibus aliorum vivendi (!).

{*Matth.* 10, 10: non calceos portate.
{*Marc.* 6, 9: estote sandaliis instructi.

De quo Aug. (II. 75): sandaliis, inquit, mystice indicari: pedem neque tectum esse debere neque nudum ad terram, h. e. Evangelium neque occultandum esse neque commodis terrestribus accommodandum (!).

II. *Quod in uno evangelio habetur, in altero deest, plenam veritatis habet auctoritatem, quoniam prætermittere non est falsum declarare;* neque Marcus et Lucas auctoritate multo inferiores sunt, ("non pares, sed suppares")[53]) ideo quippe apostolorum numero adscripti, ut appareret, non in duodecim illis fontem gratiæ exhaustum esse (Ser. 235 n. 1. 239 n. 1. de cons. Evv. I. 2).

Matth. I, 1-17 et *Luc.* 3, 23-38: Stemma gentilitium duplex, quod male vexaverat Faustus (contr.

---

[53]) Cf. contr. Faust. XVII. 5: "Lucæ ac Marci evangelium in non imparem auctoritatem receptum est."

F. III. 1. VII. 1), explicandum ex consuetudine adoptandi, inter Judæos etiam usu frequentiore recepta — exempla afferuntur Ismaelis, filiorum Bilhæ et Zilpæ, filiorum Josephi, Mosis; — ita, quum Josephus a Luca simpliciter dictus sit "filius Eli," a Matthæo vero "genitus a Jacobo," facilius esse in evang. Lucæ originem adoptantis admittere, in Matthæi autem patris germani, neque igitur esse, quod difficultatem faciat (de cons. Evv. II. 5. Quæst. Ev. II. 5. Ser. 51. n. 27. Contr. Faust. III. 3).[54])

{ *Matth.* 8, 28 (duo dæmoniaci) *Marc.* 5, 2. *Luc.* 8, 28 (unus).
{ *Matth.* 20, 30 (duo coeci). *Marc.* 10, 46 (unus).

Duo quidem fuere, sed unum, qui fama clarior erat deque cujus salute homines regionis illius plurimum satagebant, Marcus et Lucas nominare satis putabant (II. 56. 125).[55])

---

[45]) Præter hanc explicandi rationem duas alias affert, *primam* hanc: unum Evangelistam patrem Josephi nominasse, alterum avum maternum vel aliquem de cognatis majoribus (ita — de socero — *Rosenmüller*, *Paulus*, *Kuinoel* al.), *secundam* hanc: duos propter institutum leviratus patres Josepho tributos esse; hanc vero rationem (quem *Julius Afric.*, *Hieron.*, *Ambros.*, diebus nostris *Hug* — Einl. II. S. 233 ff. — et *Schleiermacher*, über d. Schr. des Lucas S. 53 — professi sunt) infirmam Aug. declarat, "quia, quum quisquam apud Judæos, defuncto fratre vel propinquo, prolem de uxore ejus exsuscitat, illud quod nascitur nomen defuncti solet accipere." Serius tamen, libro Juliani Afr. lecto, ipse ad hanc sententiam transiit (Retract. II. 7.)

[55]) Ita *Rosenmüller*, *Kuinoel*, *Storr* (über den Zweck d. evang. Gesch. p. 345), *Möller* (neue Ansichten schwier. Stellen aus d. Ev. p. 58) al.

Matth. 9, 9. *Marc.* 2, 14. *Luc.* 5, 27: vocatio Matthæi et Levi: utroque vero nomine idem Matthæus appellatus est (II. 59).

Matth. 10, 3 (Lebbæus cognom. Thaddæus). *Marc.* 3, 18 (Thaddæus). *Luc.* 6, 16 (Judas Jacobi): Tria nomina Judæ apostolo communia fuerunt (II. 70).

Matth. 28, 2. *Marc.* 16, 5 (unus angelus). *Luc.* 24, 4. *Joh.* 20, 12 (angeli duo): Duo fuere angeli, sed Matthæus de eo tacuit, quem viderunt sepulcrum intrantes, Marcus de eo, quem foris viderunt super lapide sedentem [56]) (III. 63. 67. 69).

III. *Eadem simili modo sæpius Jesu et apostolis evenerunt, eadem similibus verbis a Jesu sæpius repetita sunt; neque igitur, si eadem forte res bis enarretur, mutatis loco, tempore, rebus vel verbis nonnullis, suspicio falsitatis moveri debet* (II. 69. 77. 97).

Matth. 20, 29. 30 (duo coeci restituti, exeunte Jesu Hierich.
Luc. 18, 35 (unus coecus, accedente Jesu Hierichuntem).

In alio coeco par miraculum pari modo effectum. (II. 126. Quæst. evang. II. 48). [57])

IV. *Minus accurate Evangelistæ nonnunquam versati sunt in usu singulorum verborum inque tem-*

---

[56]) De hac aliisque artibus, quibus non magis feliciter dissensum tollere laborarunt, vid. quæ bene monuit *Lücke* in Comm. über d. Schr. des Joh. II. S. 498 f.

[57]) Identitas facti tamen ex singulis narrationum partibus manifesta videtur. Cf. *Schleiermacher* über d. Schr. d. Luc. S. 236 f. (ita jam *Orig.* Comm. in Matth. XVI. 12.)

poris ratione instituenda, ita tamen, ut unus alteri non repugnet.

Matth. 2. *Luc.* 2: Quum Matth. narrationem habet de adventu Magorum et fuga parentum Jesu in Ægyptum, Lucas autem, his omissis, addidit, quæ in Ev. Matth. desunt, de circumcisione Jesu ejusque in templo oblatione solenni facta, Augustinus utramque narrationem conciliavit, ita ut circumcisionem magorum adventus excipiat, hunc vero oblatio in templo; quibus demum factis narrationem Matthæi de fuga in Ægyptum interserendam (in Luc. 2, 39) putavit (II. 17).[58])

{*Matth.* 8, 5: Centurio ad Jesum accessit.
{*Luc.* 7, 3. 6: Misit nuntios et amicos.

Matth. minus accurate, quamvis non contra omnem usum loquendi, rem narravit, quum, qui nuntios suo nomine mittit, ipse quodammodo accedere dici possit (II. 49).

{*Matth.* 9, 18: Jairus: "filia mea jam mortua est."
{*Marc.* 5, 23: "filia mea animam agit." Cf. *Luc.* 8, 49.

Duo posuerunt, quod dixit Jairus, Matthæus autem, quod cogitavit (?) (II. 66).

{*Matth.* 8, 14 ss. *Marc.* 1, 29 ss. *Luc.* 4, 38 ss.: socrus Petri sanatur.
{*Matth.* 21, 18 ss. *Marc.* 11, 12 ss.: ficus imprecatione exarescens.

---

58) Eandem fere rationem sequuntur *Storr* (diss. exeg. in hist. N. T. libr. II. p. 1 ss.) et *Schleiermacher* (l. l. p. 43 s.); rectius autem ut videtur *Paulus*, *Kuinoel*, *Hug*, (Einl. II. p. 239) al. oblationem in templo priorem faciunt adventu magorum, cum fuga in Ægyptum hunc proxime conjungentes.

Matth. 26, 6 ss. *Marc.* 14, 3 ss. *Joh.* 12, 1: unctio Jesu Bethaniæ facta.
Matth. 26, 34. *Marc.* 14, 30. *Luc.* 22, 34. *Joh.* 13, 38: prædictio abnegationis Petri.
Matth. 26, 69 ss. *Marc.* 14, 66 ss. *Luc.* 22, 54 ss. *Joh.* 18, 25 ss.: abnegatio Petri.

Quum in his omnibus Evangelistæ nunc in loco et tempore indicando, nunc etiam in ordine rerum gestarum persequendo minus inter se conveniunt, observatum ab Aug. est: scriptores sacros, ubi commodius sibi, vel potius ubi Spiritui s. aptius visum fuerit, res prius a se omissas recapitulando addidisse, alias, quæ prius evenerint, narrando præoccupasse, alias vero, brevitatis studiosos, silentio omnino prætermisisse (II. 51. 90. 131. 153. III. 5. 23-25. 48).

Matth. 26, 73. *Marc.* 14, 70: adstantes Petrum interrogant.
Luc. 22, 59: alius quidem interrogat.

Matth. 27, 44. *Marc.* 15, 32: latrones cruci affixi Jesum irrident.
Luc. 22, 39: unus latronum irridet.

Matthæus et Marcus, locum brevius perstringentes, plures posuerunt pro uno, vel (ad exemplum prius) unus verbis fortius affirmavit, reliquis fidem ejus sequentibus (III. 25. 53).

Matth. 28, 1: mulieres sepulcrum adeunt "vespere sabbati, quæ lucescit in primam sabbati."
Marc. 16, 2. *Luc.* 24, 1. *Joh.* 20, 1: primo diluculo.

Matthæus, synecdoches figura adhibita, vesperam posuit pro nocte eaque noctis parte, quæ luce

solis exorientis terminatur, nempe quia ab initio vesperæ, sabbato finito, licebat aromata et reliquum pollincturæ apparatum coemere (?) [59]) (III. 65.)

V. *Ubi verba evangeliorum inter se collata sensum alium exprimunt, vel ita sibi opposita sunt, ut unum alterum tollat, tenendum est, rem agi nullius prorsus momenti; factum vero esse, ut salubriter homines discant, non verba quærenda esse, sed in verbis animum loquentis.*

Ita *Matth.* 3, 11: calceos portare, et *Marc.* 1, 7. *Luc.* 3, 16: calceorum corrigiam solvere — *Matth.* 3, 17: "ille est filius meus dilectus," et *Marc.* 1, 11. *Luc.* 3, 22: "tu es filius." (II. 29. 31). —

Esse vero hæc longe plurima ita observata, ut præclaro exemplo Augustinus iis præeerit, qui postea in harmonia evangeliorum construenda operam collocarunt, nemo puto inficias ibit [60]), quum non singulis modo locis lucem egregie affuderit, verum quosdam etiam indicaverit fines, quos ultra labor prodire non debeat; neque equidem scio, an ex alio

---

59) Nulla vero hic difficultas est, si verba Matth. *ὀψὲ σαββάτων* vertuntur, "septimana peracta," cf. Marc. l. l. *διαγενομένου τ. σαββάτου.*

60) de cons. Evv. II. 16: "Ne moveant animumque conturbent, sic unumquemque evangelistam contexere narrationem suam, ut tanquam nihil prætermittentis series digesta videatur; tacitis enim, quæ non vult dicere, sic ea, quæ vult dicere, illis quæ dicebat adjungit, ut ipsa continuo sequi videantur; sed quum alter ea dicit quæ alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat, locum, ubi ea potuerit, a quo prætermissa sunt, transilire, ut ea, quæ dicere intenderat, ita superioribus copularet, tanquam ipsa nullis interpositis sequerentur".

nullo libro insignis in Augustini in nodis solvendis dexteritas, in rebus conciliandis ingeniositas luculentius appareat. Nihilo tamen secius, quæstionem difficilem nondum operâ ejus exhaustam esse, quum certum, unde exierit, principium desit, mihi quidem certum indubitatumque est. Ingenue quidem confessus est, quod docet instituta evangeliorum comparatio, singulis librorum dictis non adeo plenam veritatem contentam esse, ut non in uno res gestæ, orationes habitæ accuratius h. e. verius et rectius quam in altero propositæ legantur, nonnunquam etiam realem adesse dissensum, qui explicatione tolli nequeat [61]); verum tamen erroris lapsusve memoriæ nomen ita fugit, ut alia omnia potius admitti, et, si aliter res expediri non posset, judicium prorsus suspendi juberet [62]). Hoc autem ut contenderet, adductus est notione inspirationis, quam ita constituendam putavit, ut evangelistæ, in minimis etiam rebus instrumenta Spiritus sancti, nihil ex ingenio suo vel ex memoriæ fide litteris consignaverint [63]). Verum in hoc neque sibi constitit, neque etiam religioni, uti voluntas fuit, satis consuluit; consulto enim evangelistas egisse, quoties res gestas minus accurate et veritati convenienter tradiderint, reverentia sanctis viris debita statuere vetat; Deum vero, æternum veritatis fontem, erroris h. e. mendacii auctorem esse, ut in evangelistis singulis inspirandis repugnaverit sibi, quis demum cogitare sustineat; at vero — in hominibus, quos Deus instru-

---

61) vid. supr. p. 103. 112.

62) vid. supr. p. 105. not. 51.

63) vid. supr. p. 106.

xerit nobis certos et sanctos fidei christianæ narratores, admittere in rebus, quæ ad religionem non pertinent, lapsum memoriæ vel styli qualemcunque, pietas cordata neque prohibet neque ipsa metuit. Hîc vero si dixerit aliquis, ita non multum nos ab assertione Manichæorum abesse (vid. supr. p. 105), is in externa litterarum specie profecto hærebit, sensu litterarum neglecto; isti enim quum fidem evangeliorum arbitrio suo subjecerunt, nos, omnem arbitrio viam præcludentes, sacros scriptores duces unice sequimur, notionem quippe fidei christianæ ex libris eorum haurientes, ex ea vero summam eorundem in rebus fidei auctoritatem derivantes atque tuentes.

Peccavit autem in eo inprimis Augustinus, quod — neglecta regula: incognitum ex cognito explicandum esse — indolem mutuamque relationem evangeliorum ex inspirationis notione constituere voluit, quum hanc debuisset ex ratione Scripturæ sacræ explorata et cognita derivare. Ita vero, quum docet oculorum usus, Evangelistas in rebus fidei tractandis interdum quidem alios alias adhibuisse formulas verborum, cum nullo autem doctrinæ et historiæ sacræ discrimine, in iis vero, quæ nullo nisi externo vinculo cum rebus religiosis cohærent, ita nonnunquam dissentire, ut consensus effici non possit; quid tandem divina ipsa auctoritas monet docetque, nisi inspirationis nomen non tam ad modum efficaciæ Dei quam ad vim ejus et effectum referendum esse: quippe factum esse, Deo miro modo operante, ut sacris libris suprema et absoluta auctoritas constet in iis omnibus, quæ sive historici sive dogmatici argumenti ad religionem pertinent; ne-

que vero esse. quod fidem turbare debeat, si in iis, quæ sine fidei et pietatis detrimento abesse potuissent, humani quid auctoribus sacris accidisse videatur. Hoc autem quin Augustinus agnosceret, non multum adeo abfuisse videtur, quum ipse reperiri in evangeliis concesserit, quæ utrum sic an aliter dicta fuerint nil omnino referat; obstante vero illa quam dixi inspirationis positivæ et litteralis notione, neque distinctionem hanc accuratius proposuit, neque justum ejus usum in evangeliis tractandis instituere ausus est. Ita vero quum religioni duceret, nominis alicujus vel temporis et loci permutationem ad memoriæ lapsum referre, incredibile est, quantum se cruciaverit in singulis singularum narrationum partibus invicem conciliandis, idque irrito sæpe conatu. Exempla quum ante jam habuerimus, hîc unum alterumve addere sufficiat:

Matth. 27, 10: verba excitantur *Jeremiæ* prophetæ, quæ ex oraculo *Zachariæ* sine dubio desumta sunt. Hîc autem quod habet Augustinus mireris: scilicet, sanctos omnes prophetas, inquit, uno spiritu locutos, mirabili consensione inter se constare; singula igitur quum omnium sint et omnia singulorum, quæ dicta sunt per Zachariam, tam Jeremiæ esse quam Zachariæ, neque igitur Spiritum sanctum mentem et stylum Matthæi contra veritatem rexisse (!) (III. 30) [64].

[64]) Saniore judicio usi sunt *Orig.* Comm. in Matth. ad h. l.: "suspicor aut errorem esse Scripturæ, et pro Zach. positum Jerem., aut esse aliquam Jeremiæ secretam scripturam", — et *Hieron.* Comm. in Matth. ad h. l. "Legi nuper in quodam volumine hebr. Jerem. apocryphum, in quo hæc ad verbum scripta reperi; sed tamen mihi videtur magis de Zach. sumtum testimonium".. in Ps.

Marc. 15, 25: Jesus cruci affixus hora tertia (ɔ: h. 9na).
Joh. 19, 14: Jesus coram Pilato hora sexta (ɔ: h. 12ma). Hîc Augustinus: Marcum horam nonam non supplicii horam indicasse, sed retulisse ad clamores Judæorum in interrogatione a Pilato habita, postulantes, ut cruci affigeretur; tum enim Jesum *linguis* Judæorum dici potuisse cruciatum, ut postea *manibus* militum; Marcum autem in illo substitisse, ut Judæi supplicii Christi non minus quam Pilatus ejusque milites rei declararentur (!) (III. 42, 43. Tract. in Ev. Joh. 117 n. 1. Enarr. in Ps. 63 n. 5). Sensit tamen sine dubio vir bonus, hoc loco nimium se ingenii subtilitati indulsisse; quare hoc subjunxit: "utinam etiam plures ab aliis inveniantur hujus exitus quæstionis! quod donec fiat, utere mecum isto si placet!" [65]).

77: "in Jer. invenire non potuimus, sed invenimus in Zach.: videtis ergo, quia et hic error fuit".

[65]) Neque vero ambagibus multis opus erit, neque — quod interpretes tantum non omnes suadent — lectionem Johanneam ἕκτῃ mutare in τρίτῃ contra graviorem codd. et verss. auctoritatem, si admittimus, Johannem secutum esse Romanorum horas computandi rationem, qua dies ut apud nos a media nocte incipiebatur, ut Jesus h. 6ta matut. damnatus, h. 9na vero cruci affixus fuerit. Johannem autem a more judaico hac in re discessisse, neque per se improbabile est, quum Joh. longe serius, per multos annos extra Palæstinæ fines commoratus, civitate jud. jam certe vastata, evangelium conscripserit, et vero eo confirmatur, quod, admisso hoc, aliæ quoque difficultates chronologicæ de coena paschali facili, ut videtur, ratione solvuntur: dies enim Jovis, qui a vespera inde Judæis erat d. XIV Nisan s. ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων (Matth. 26, 17. Marc. 14, 12. Luc. 22, 7),

X.

Superest, ut de *Vetere Testamento* quædam addamus; cui ut veritatis notam vindicaret, non leve Nostro erat cum Manichæis certamen subeundum [66]). Hi enim, pietatem inter cavillationes fingentes, ut constaret, libros V. T. a veritate immane quantum distare, provocarunt ad effata Jesu et apostolorum, negantes, cum his ullo modo eos conciliari posse. Ex multis hîc pauca seligamus: *Gen.* 1, 1: "principio fecit Deus coelum et terram" coll. *Joh.* 1, 10: "mundus per ipsum (Christum) factus est". — *Gen.* 2, 2; "die 7mo requievit Deus" coll. *Joh.* 5, 1: "pater meus usque nunc operatur". — *Gen.* 2, 18: "relinquat homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ" coll. *Matth.* 19, 29: "omnis qui reliquerit uxorem .. possidebit vitam æternam". — *Exod.* 20, 12: "Honora patrem et matrem!" coll. *Matth.* 8, 22: "sine mortuos mortuos suos sepelire!" — *Gen.* 3, 10. 13: "Deus locutus cum Adamo, coll. *Joh.* 1, 18: "Deum nemo vidit unquam". — *Prov.* 6, 6: "imitare formicam, et intuere diligentiam ejus" coll. *Matth.* 6, 34: "nolite cogitare de crastino" [67]). De his autem leviter sane et

---

Romanis et Syris erat d. XIII. Nisan s. ἡμέρα πρὸ τῆς ἑορτῆς του πάσχα (Joh. 13, 1). Ita jam *Möller* neue Ansichten u. s. w. S. 163 ff. *Bretschneider* Probabilia de Ev. Joh. p. 106.

66) Confess. VII. 27: "avidissime arripui venerabilem stylum Spiritus tui et præ ceteris apost. Pauli, et perierunt quæstiones illæ, in quibus mihi aliquando visus est adversari sibi, et non congruere testimoniis Legis et Prophetarum textus sermonis ejus.

67) Vid. contr. Adimant. n. 1. 2. 3. 6. 9. 24 al.

inepte objectis facilis victoria fuit, cum minore etiam, quam quæ Augustino erat, ingenii sagacitate; neque est profecto, cur in iis, quæ singulis opposuerit, recensendis tempus perdamus.

Graviores autem et quæ magis ad rem faciebant, eæ erant objectiones, quæ petebantur ex præceptis ethicis Evangelii et Pentateuchi inter se comparatis; hîc enim recte contendere licebat, Mosen populum jussisse par pari referre, (Exod. 21, 24 s.), quum a Jesu nihil magis improbatum sit (Matth. 5, 38 ss.), — Mosen hostibus debellatis parcere graviter prohibuisse (Exod. 23, 22 ss.), quum Jesus primam legem hanc fecerit, amorem ad omnes, hostes etiam, extendere (Matth. 5, 44 ss.), — animos Judæorum totos ad præmia terrestria ceu finem bonorum intentos fuisse (Lev. 26, 3 ss. Deut. 28, 1 ss.), quum qui nomen Christo dederint sursum tendere jubeantur (Matth. 16, 24 s. al.), — discrimen ciborum purorum et impurorum præcipuum tenere in disciplina mosaica locum (Lev. 11), quod auctore Jesu sublatum sit nullumque esse declaratum (Matth. 15, 11 ss.) [68]). Neque vero diversitatem adesse Augustinus negavit, sed — quum ei persuasissimum esset, "omnia tam in Vet. quam in N. T. uno sancto Spiritu conscripta et commendata esse", (contr. Adimant. n. 3) — diversitatem aliam vel majorem esse, quam ut cum revelationis auctoritate constare posset; optime enim, rem acu quasi tangens, monuit, in Judæis, populo rudi sensuumque imperio dedito, necessariam ante omnia fuisse disciplinæ ex-

68) Vid. contr. Adimant. n. 1. 3. 7. 8. 15. 17. 18.

ternæ severitatem, qua primum adducerentur ad justitiam civilem moribus observandam; sic igitur auctore Deo legem mosaicam apparuisse, quæ rigorem sapientissime haberet humanitate temperatum, ut fundamento ejus gratia evangelii tempore opportuno superstrueretur (contr. Adimant. n. 8. 15. 17).

Quandoque tamen Nostrum nimium fuisse in objectionibus impugnandis inque consensu utriusque doctrinæ efficiendo, quod nihil omnino in libris sacris humano modo explicari passus est, abunde multa docent exempla. Ita, ut probaret, in V. T. jam creationem mundi ad Trinitatem referri, verbis Geneseos (1, 3): "Deus *dixit:* fiat!" indicari voluit efficaciam *Filii* s. *Verbi*, latentis sub verbo dicendi. Ad locum Exodi autem (20, 5), ubi Jehova culpam parentum dicitur in liberos persecuturus vel ad tertiam usque quartamque stirpem, hoc observavit: quatuor generis humani stirpes distinguendas esse: ab Adamo ad Davidem usque, a Davide ad exilium babylonicum, hinc ad Christi in terras adventum, quartam denique ad ultimum usque rerum finem protrahendam; ita vero verba nihil præter hoc dicere: esse decreto Dei sapientissimo constitutum, ut homines tertiæ et quartæ generationis, h. e. inde a tempore exilii, poenas luant eorum, quæ et ipsi et majores jamdudum defuncti contra voluntatem Dei et ipsorum salutem egerint; quod quidem eventu satis comprobatum esse (contr. Adim. n. 1. 7). Sed de his jam satis et ultra actum esse videtur.

XI.

Veritatis et accommodationis studium.

Quæstionem supra agitatam de mutuo evangeliorum consensu altera affinis ei excepit: *num et quatenus scriptores sacri veritati minus congrue locuti fuerint, quamquam ipsi plena veritate instructi, ut temporis usibus prudenter inservirent.*

Erat autem hæc quæstio, ut diebus nostris sic primis etiam ecclesiæ seculis, multum agitata, auctoribus præsertim Manichæis, qui, pro eo quo in interpretatione utebantur arbitrio, simulationes pariter ac errores frequentissimos in apostolis admittebant, idque eo facilius, quod vita Jesu a natalibus ad mortem usque nihil ipsis erat nisi affectuum humanorum simulatio continuata.[69]) Neque vero inter interpretes ecclesiæ fidei addictos defuere, qui disputandi rationem dispensatoriam quam dicebant nimio ambitu extendere viderentur. Incurrit in hanc censuram Hieronymus ipse, qui Paulum in Ep. ad Gal. 2, 14 haud sincero animo docuit reprehendisse inconstantiam Petri — quum ipse ejusdem culpæ reus esset, admissa in Timotheo circumcisione (Act. 16, 3), quin aperte etiam professus, se Judæis esse tanquam Judæum, gentilibus tanquam gentilem (1 Cor. 9, 20), — sed indignationem simulasse, ut gratum Gentilibus faceret; neque Hieronymum interpretationis hujus auctorem fuisse, docet epistola Augustino scripta (75

---

[69]) *Faustus* (vid. Aug. contr. F. XXVI. 8): "ut ab initio sumta hominis similitudine, omnes humanæ conditionis simulavit affectus, sic ab re non erat, si in fine quoque consignandæ oeconomiæ gratia fuisset visus et mori."

n. 4. 6), ubi provocatur ad aliorum interpretum consensum, Origenis inprimis in Commentario in Ep. ad Gal. nunc deperdito, atque Chrysostomi in sermone 58vo. Augustino vero, qui ut de rebus ethicis omnino sic inprimis de officio veracitatis severius judicabat, illa interpretandi ratio non potuit non vehementer displicere. Eam quidem concedit esse naturæ hominum infirmitatem, ut non omne mendacium cavere possit,[70]) imovero, si quis ægre et invitus, commodi aliorum studio ductus, a veritate discesserit, bonæ intentioni justam tribuit laudem;[71]) hoc autem constanter docet et affirmat, omne mendacium culpam habere,[72]) neque in scriptoribus sacris igitur, in quibus alius virtutis modulus adhibendus sit,[73]) ullo mo-

---

[70]) Contr. mend. n. 36: "quia homines sumus et inter homines vivimus, fateor, me nondum esse in eorum numero, quos compensativa peccata non turbant; sæpe me in rebus humanis vincit sensus humanus, neque resistere valeo."

[71]) l. l. n. 33: "multum fatendum est propinquare justitiæ, et, quamvis re ipsa nondum, jam tamen spe atque indole animum esse laudandum, qui nunquam nisi hac intentione mentitur, qua vult prodesse alicui, nocere autem nemini."

[72]) l. l. n. 26. 31: "*Mendacium est falsa significatio cum voluntate fallendi;* — quod est contra veritatem, justam esse non potest; quis autem dubitat, contra veritatem esse mendacium omne; nullum ergo justum esse potest mendacium."

[73]) l. l. n. 33: "non de homine quærimus adhuc pertinente ad Jerusalem terrenam, sed de cive illius civitatis, quæ sursum est libera mater nostra æterna in coelis; et respondetur nobis quærentibus: omne mendacium non est ex veritate; filii autem illius civitatis filii sunt utique veritatis."

do admitti posse;[74]) idque eo minus, quod, consilio fallendi vel uno loco admisso, omnia lubrica et incerta facile fiant, quum, si quid durius vel difficilius dictum videatur, unicuique liceat orationem pia fraude simulatam suspicari.[75]) Paulum vero quod attinet, vindicias ejus in epistolis 28va, 40ma et 82ma suscepit, Hieronymum "ut παλινῳδίαν caneret" graviter admonens (Ep. 40 n. 7); verum enimvero, quum auctoritas codicis sacri ab iis pendeat quæ scripserint, non ab iis, quæ egerint auctores, hoc utique docet concedi posse, apostolum agendo non semper constitisse sibi, firmiter modo hoc teneas, litteris eum nihil mandasse, quod ex animi sinceritate non haustum petitumque fuerit; neque autem Paulo vitio verti posse, quod ritus et instituta Judæorum interdum observaverit, quum, etsi christianus factus, Judæus natus fuerit, neque ita coetui Judæorum oppositus, ut non licuerit ipsi, salva religione, officia nonnulla eorum subire; in his vero nihil eum egisse simulatione fallaciæ ductum, sed misericordiæ sensu, quo facilius veritatem evangelii hominibus persuaderet.[76])

Multa hîc acute et egregie omnino observata esse, nemo non fatebitur. Nimirum quod negavit, primum: in libris sacris dictum aliquid reperiri, quod non veritatem habeat, si non verbis simplicibus expressum,

---

[74]) De cons. Ev. II. 9: "Homo religiosus quodlibet aliud quærendum potius judicaret, quam Evangelistam crederet esse mentitum." contr. mend. n. 26. 35.

[75]) De sancta virginit. n. 17. Ep. 28 n. 3. 40 n. 7. contr. adversar. Leg. et Proph. II. 3.

[76]) Ep. 40 n. 3. Contr. mend. n. 26. Contr. adversar. Leg. et Proph. II. 4.

at forma imaginum tamen adumbratam,[77]) deinde: mendacium sensu strictiore in scriptoribns sacris admitti posse — quum in docendo, si non nudam semper dederint veritatem, non fallendi fuerit voluntas, sed per gradus ad veritatem adducendi, — hæc ita dicta sunt, ut pio nemini secus sentire liceat. Ipsum vero locum Epist. Paulinæ quod attinet, verissime certe negavit, fictam et simulatam Pauli indignationem intelligi posse, quæ neque verbis Pauli totique sermonis nexui convenit, neque etiam cum rei quæ agitur gravitate constat,[78]) quandoquidem Petrus non tam imprudentiæ agendi, quam levitatis animi et hypocriseos reus erat, suo unice commodo intentus; quo quidem justam indignationem non Paulo commotam fuisse, quomodo credibile est? imo, ut affectum iræ ludendo simularet, qua demum ratione adduci potuisset, nisi ut auram popularem captaret sibique majoris probitatis et sanctitatis famam conciliaret? quod quidem non prius dictum quam refutatum esse crediderim. At enimvero, quum hæc ex indole ipsius loci Augustinus ulterius objiciendo exponere potuisset ac debuisset, ut, aliis locis collatis, doctrinam de accommodatione difficilem accuratius definiret, placuit ei in disquisitione

---

[77]) Contr. mend. n. 35: "Quod esse creditur, ostendatur non esse mendacium, sive ubi tacetur verum neque dicitur falsum, sive ubi significatio verax aliud ex alio vult intelligi."

[78]) Neque tacendum hic est quod Hieron. ipse fatetur (Ep. 75 n. 6): interpretationem illam inprimis hanc ob causam tot tantosque nactam esse defensores, ne Paulus principem apostolorum audaciore vituperio perstringere videretur.

generaliori de officio veritatis et mendacii notione subsistere, ita vero neque sibi constitisse neque rem felicius confecisse videtur. Nam quod ipse pietate salva concedi posse docuit: scriptores sacros humanitatis et misericordiæ sensu commotos interdum fuisse, ut officio veritatis aliquantulum remitterent, hoc totidem fere verbis — si quid video — sustulit atque negavit, quum auctores illos tanta cum religione docuit officium veracitatis servasse, ut ne unum quidem simulationis exemplum in iis admitti sine impietate posset; scilicet: "si ad scripturas sanctas admissa fuerint velut officiosa mendacia, quid in iis remanere auctoritatis?" (Ep. 40 n. 3). Verum enimvero — demittere se docendo ad ingenium et facultates aliorum, quid tandem est nisi alias induere et simulare notiones, nisi a veritate perfecta sciens volensque recedere, ut, primo facto initio, veritati pleniori ac puriori facilius aperiatur via?

Ipse vero Augustinus hîc ut sæpius fluctuasse videtur; dum in studio librorum sacrorum versabatur, cogente quasi necessitate concessisse videtur, quod deinde, ingenii meditationi totus se committens, vehementer impugnavit; philosophus enim magis quam interpres, non tam ex iis, quæ Jesus et apostoli egerunt dixeruntque, efficere conatus est, quid bonum honestumque sit, quam ex sua qualicunque boni honestique notione, quid agere et dicere Jesus apostolique debuerint. In eo autem, quia terrebat pessimum eorum arbitrium, qui nihil non per accommodationem dictum volebant, tutissimum judicavit omnem in litteris sacris simulationis vel dissimulationis usum negare, pa-

rum ad id attendens, quod omnis librorum illorum pagina docet, tantam et Judæorum et Gentilium fuisse animorum auriumque duritiem, ut parum profecto divina veritas profuisset, nisi consueti vocularum soni sensus pulsassent. Quare si qui nostris etiam diebus, funestis rei abusibus ut dicunt contristati et perterriti, accommodationem in orationibus Jesu et apostolorum admittere nefas existiment, dubito, quid sibi velint num satis ipsi intelligant, quum dubio profecto careat, rectum sermonis usum non solum ex æternis veritatis legibus pendere, verum ex sapienti etiam ratione eorum habita, ad quos diriguntur verba. Hujus autem sapientiæ exemplum perfectissimum Jesum et apostolos nobis exhibere, omnes fatentur; quare in positiva hac quæstione: accommodatio num et quatenus in libris sacris admitti possit ac debeat, nescio cur hæreant semper in disputationibus philosophicis vagis, centies repetitis; quum ipsi libri potius assiduo et diligenti studio aggrediendi sint, ut accommodationis licitæ et salutaris natura et ambitus, præeunte Jesu cum apostolis, constituatur, leges et fines, quantum fieri possit, distinguantur, quos ultra citraque nequeat consistere rectum. Sed de his longus foret sermo, neque hujus loci et temporis est.

XII.

3. 4. Sufficientia. Perspicuitas.

In volumine librorum, quod religiosæ cognitionis fontem et sanctam ecclesiæ copulam Deum nobis dedisse credimus et profitemur, non solum divinæ re-

quiruntur notæ, purissima veritatis integritas et augusta numinis auctoritas, sed humanæ quoque, indolem dicimus et rationem usibus humanis sapientissime, sive quantitatem spectes sive qualitatem, attemperatam, ut ex iis, quæ scire necessarium ad salutem, nihil desideretur, neque eorum aliquid ita propositum sit, ut intelligi inque vitæ usus converti nequeat. Neque hîc vero Manichæi defuere sibi, Scripturas sacras impugnantes et ecclesiæ pacem infestantes; qui, quum docerent tot esse paginarum illarum lacunas, caligines tantas, ut, Manetis demum institutione accedente, cujus addere et illustrare [79]) non minus esset quam distinguere et corrigere (vid. supr. p. 97 not. 39), omnia plena et clara evaserint, id omni modo egerunt, ut usum, qui libris sacris ex consensu ecclesiarum pio constabat, everterent, summæ autem auctoritatis arbitrium, apostolis callide ereptum, in suas manus transferrent. Et transtulissent fortasse, nisi Augustinus, quique cum eo alii stabant Sacræ Scripturæ vindices et assertores, veneno illorum salutare opposuissent antidotum. Nimirum hoc Noster Christiano nemini dubium esse docet, ita sapientiam Dei hominibus consuluisse, ut, quantum satis esse judicaret, Scriptura sacra revelatum

---

[79]) de actis c. Felice I. 9. Felix: "Quia venit Manichæus, et per suam prædicationem docuit nos initium, medium et finem, — quia hoc in Paulo non audivimus, neque in ceterorum apostolorum scripturis, hoc credimus, quia ipse est Paracletus." Enarr. in Ps. 146 n. 13: "perditissima Manichæorum secta acceptas Scripturas et lectas irrisit; reprehendere voluit, quod non intelligebat, et exagitando et reprehendendo non intellecta, multos illaqueavit."

sit,[80]) neque igitur ferendos esse, si qui litteris ejus aliquid adjicere audeant (contr. Faust. XVIII. 7). Quod Manichæi autem testimonium quæsierunt ex nonnullis Jesu apostolorumque dictis, quæ institutioni alicui futuræ pleniori et accuratiori locum relinquere videbantur (Joh. 16, 12. 1 Cor. 3, 1. 2. 13, 9), hoc aut imprudenter aut impie commissum esse monet. Etenim, quod dixit Paulus, "quando venerit τὸ τέλειον, cessaturum esse quicquid nunc ex parte hominibus cognitum sit," hoc, orationis nexu docente, dictum esse de vita in coelis beate continuanda (de actis c. Felice I. 12); alia ejusdem verba, quibus inter γάλα et βρῶμα distinguitur, non indicare duplicem aliquem doctrinarum cyclum, ac si unus omnibus communis esset, alter provectioribus reservatus,[81]) sed diversam instituendi rationem facultatibus singulorum aptam (tract. in Ev. Joh. 98 n. 2. 3); denique ex verbis Jesu "multa se dicere habere, discipulos autem sustinere ea non posse," constare quidem, non omnem doctrinæ copiam verbis litterisque scriptis traditam esse, sed, ipse Dominus quum tacuerit, nihil magis temerarium esse, quam ex suo supplementum addere, nihil magis stultum, quam novatoribus aures animumque præbere (tract. in Ev. Joh. 96 n. 1. 2.); sic enim ecclesiam in discrimen extremum induci, neque aliquid facile esse,

---

80) de civ. D. XI. 3. de Gen. ad litt. V. 23.

81) tract. in Ev. Joh. 98, 3: "nulla videtur necessitas, ut aliqua secreta doctrinæ taceantur et abscondantur fidelibus parvulis, seorsim dicenda majoribus h. e. intelligentibus."

modo adsint qui callide rem agant, quod voluminibus sacris obtrudi nequeat. [82])

Quum hæc omnia ita observata sunt, ut vindex et patronus optimus Augustinus haberi dicique ecclesiæ nostræ possit, quæ commentum Catholicorum de traditione altero et æquali doctrinæ fonte destruxit [83]); non minus egregie valent, quæ de *notione perspicuitatis* Sacræ Scripturæ constituenda tuendaque disputata sunt. Primum vero esse concedit, quæ dicta in libris sacris cum aliqua obscuritate et ambiguitate sint; neque vero sine providentia divina hoc accidisse monet, neque igitur sine summa nostra utilitate. Quum enim, quæ primo obtutu patent, vilescere soleant et negligi, difficultas autem ad penitius inquirendum excitet, nonnulla velamine quasi obducto latere, ut studium hominum magis intendatur et exerceatur, sicque diligenti virium usu veritas coelestis eruatur [84]); eodem quoque referendum esse, quod ita Sacra Scriptura

---

[82]) tract. in Ev. Joh. 97, 2: "cavete, ne hominibus deceptis ac deceptoribus aurem curiosam præbeatis ad incognita scienda, quum mentes invalidas habeatis ad vera et falsa dijudicanda." tract. 98 n. 7.

[83]) non mirum igitur, quod reformatores hunc locum tractantes ad auctoritatem Augustini sæpius provocarunt, sic *Calvin.* inst. relig. IV. 8, 13. Cf. *Reiser:* S. Aug. veritatis evangelico-catholicæ contra Bellarminum et alios scriptores papæos vindicatus. 1678. lib. I. cap. 1. 4. — Ceterum in iis, quæ de traditionis vi et auctoritate statuit, Aug. minus sibi constitisse, ex aliis locis infra afferendis apparebit.

[84]) de doctr. chr. II. 7: "Quod totum provisum divinitus esse non dubito ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt". Ser. 156 n. 1: "Verbi Dei alti-

comparata sit, ut non hujus vel illius hominis ingenio arrideat, sed, dum plenæ et integræ veritatis adumbrationem generalem contineat, omnibus pariter et æqualiter satisfaciat [85]). Deinde vero, magnifica et mira sermonis profunditate, quæ obscuri aliquid habeat neque unquam non habitura sit, utiliter homines humilitatem doceri, sentientes, ingenii infirmitas quanto divinis oraculis inferior sit [86]). Neque — quod gravissimum hac in re est — illam qualemcunque obscuritatem impedire, quo minus auctoritas verbi divini in omnibus iis, quæ sine dispendio salutis ignorari nequeant, clarissima et manifesta omnibus sit [87]), præ-

tudo exercet studium, non denegat intellectum". Confess. VI. 9. Enarr. in Ps. 146 n. 13. Ep. 199 n. 42.

85) Confess. XII. 41. 42: "Ego certe, si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, ut quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem ceteras, quarum falsitas me non posset offendere. — Sensit ille (Moses) omnino in his verbis atque cogitavit, quum ea scriberet, quicquid hic veri potuimus invenire, et quicquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in iis inveniri potest".

86) Ser. 51 n. 35: "Illud ante omnia retinete, ut Scripturis sanctis nondum intellectis non perturbemini, intelligentes autem non inflemini, sed et quod non intelligitis cum honore differatis, et quod intelligitis cum caritate teneatis". Enarr. in Ps. 147 n. 2: "Magnum pietatis et sanitatis initium est, antequam scias quare quid dictum sit, credere ita dici debuisse ut dictum est; hæc enim pietas faciet te capacem, ut quæras quod dictum est, et quum quæsieris invenias, et quum inveneris gaudeas".

87) de doctr. chr. II. 14: "In iis, quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, spem scilicet atque caritatem". De

sertim quum locis obscurioribus nunquam fere alia desint verbis planioribus dicta, unde lucis quantum satis est afferri possit[88].

Ex hîc dictis facile intellectu erit, quid de iis locis Augustinus judicaverit, quæ, quum posita ultra interpretationis facultatem videantur, *problemata hermeneutica* recte dicuntur; in quorum numerum retulit Gen. 1, 1. 4, 6. 2 Cor. 12, 2 ss. Col. 1, 16. 1 Thess. 4, 15. 2 Thess. 2, 6 ss. 1 Pet. 3, 18 al.[89]. Hæc nimirum, si argumentum et indolem respicias, non multum ad usus nostros pertinere, neque in S. Codice ita descripta esse, ut cognitio nobis mandata sit[90]; homini christiano proinde auream hanc regulam tenendam animo esse: *"melius est dubitare de rebus occultis, quam litigare de incertis"* (de Gen. ad litt. 8, 9).

---

pecc. mer. et remiss. II. 59: "Etsi quodlibet horum, quemadmodum explicari et demonstrari possit, ignorem, illud tamen credo, quod etiam hinc divinorum eloquiorum clarissima auctoritas esset, si homo id sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset". Confess. VI. 8.

88) de doctr. chr. II. 7. 8: "magnifice et salubriter Spiritus S. ita Scripturas SS. modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidium detergeret; nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur".

89) Conf. XII. 18. 32 ss. de civ. D. XV. 7. XX. 19. de Gen. ad litt. XII. 2 ss. ad Oros. contr. Priscill. 14. de Dulcit. qu. 3. Ep. 164 n. 2 ss.

90) ad Oros. contr. Priscill. 14: "neque ista multum ad nos pertinent, ut ea summo studio indagare curemus, quæ remota sunt a sensibus nostris, ab intellectu infirmitatis humanæ, neque in ipsis Scripturis ita posita, ut nobis eorum sit mandata cognitio".

In his omnibus autem viros, qui seculo XVImo de sacra Scriptura restituenda et Ecclesia reformanda immortaliter meruerunt, ita Augustino assentientes habemus, ut non tam ad eum prope accessisse quam in eodem prorsus loco constitisse dicendi sint [91]).

XIII.

Regulæ criticæ de textu sacro emendando.

Ante jam exemplis allatis vidimus, non parum operæ et studii Augustinum convertisse ad codices græcos et latinos Veteris Novique Testamenti a vitiis depurgandos (p. 55-68); verum ut nihil gravius et utilius

[91]) Juvat inter plurima quæ adsunt hæc afferre: *Luther* Ausleg. d. 37 Psalm. (Walch. V. S. 457): "es ist eine greuliche grosze Schmach u. Laster wider die h. Schrift u. alle Christenheit, so man saget, dasz die h. Schrift finster sey; das ist wohl wahr, etliche Sprüche der Schrift sind dunkel; aber in denselben ist nichts anders, denn eben was an andern Orten in den klaren, offenen Sprüchen ist; also wer das Dunkle nicht verstehen kann, der bleibe bey dem Lichten". *Melanchth.* Schutzr. für Luth. (Walchs Ausg. von Luth. XVIII S. 1151): "Ihr müsset mir zugeben, dasz der Schrift Meinung sey gewisz u. klar, also dasz sie sich selbst auslege, wo etwa ein finster Ort ist, zuvor in den Dingen, die der h. Geist hat wollen erkannt u. geglaubt werden". *Calvin.* inst. rel. chr. IV. 10, 7: "quod ad perfectam bene vivendi regulam pertinebat, id totum sic complexus est Dominus lege sua, ut nihil hominibus reliquerit, quod ad summam illam adderent". *Artic. Anglic.* XXXIX. art. 6: "Scriptura S. continet omnia, quæ ad salutem sunt necessaria, ita ut quicquid in ea neque legitur neque inde probari potest, non sit a quoquam exigendum, ut tanquam articulus fidei credatur, aut ad salutis necessitatem requiri putetur".

est crisi sobrie et accurate instituta; ita neque perniciosius aliquid quam in rebus criticis levitas et inconstantia, neque difficilius aliquid, quam recta hîc incedere via. Etsi vero ingenio judicioque multum relictum manet, principiis tamen et regulis, ne temere et perverse res agatur, studium criticum dirigi debet; unde hoc loco quæritur, an ex libris Augustini leges et regulæ elici et constitui possint, quas in studiis criticis sibi aliisque observandas præceperit.

Systema criticum vero regulis absolutum nemo facile exspectaverit, neque propter laboris tantummodo difficultatem, sed ob periculum etiam, quod difficultate non multo inferius esse historia docet. Quamquam enim Deus Opt. Max. oracula sacra ita hominibus commisit, ut integritatem litterarum, interpretationis veritatem non miraculo servatam, sed curis eorum commendatam, doctrina et studio confirmatam voluerit, nunquam tamen ea in ecclesia defuit religionis superstitio, quæ lectiones dubias et suspectas mordicus tenere magis existimavit pium, quam veras et genuinas restituere [92]. Nostris demum temporibus — agente

[92]) Audias *Hieronymum* (præf. ad Evang.): "pius labor, sed periculosa præsumtio, judicare de ceteris, ipsum ab omnibus judicandum, senis mutare linguam, et canescentem jam mundum ad initium retrahere parvulorum; quis enim doctus pariter vel indoctus, quum in manus volumen assumserit, et a saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat, non statim erumpet in vocem, me falsarium, me clamitans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere!" — et post secula quattuordecim *Griesbachium* (præf. ad Nov. Test. gr. 1796): "quæ de pluribus sacri textus recensionibus monueram, fabulæ et commenta vi-

qui in ecclesia nostra viget veritatis libertatisque genio — opus exigere contigit, quod inter clamores invidiæ et superstitionis laudem habebit æternam; antiquis plerisque ecclesiæ doctoribus et tutius et commodius visum est, theoriæ scandalo evitato, furtim quasi, uti voluntas vel occasio ferebat, ad laborem emendandi transire, pede vero, quia fundamentum deerat, titubante et sæpius labente. Sed, ut verum intelligatur, primum est cognoscere falsum, et multum facit ad bonos in litteris profectus exempla ante oculos habere studii male et perperam instituti; quo quidem nomine nescio an studiis patrum criticis et exegeticis nemo magis quam secta Manichæorum profuerit; qui in usu codicum sacrorum ita versati sunt, ut difficile sane esset non discere rectum. Quippe fidem lectionum, bonitatem codicum, versionum auctoritatem anti-scripturarii isti parum aut nil quærentes, ad rationes dogmaticas crisin revocarunt; ut, si quid neque ita dictum esset neque interpretatione ita detorqueri posset, ut cum sententiis ipsorum conciliaretur, interpolatum contenderent a corruptoribus nescio quibus, qui Judæorum legem Evangelio miscere cuperent [93].

---

debantur nonnullis, neque deerat, qui insulsis jocis et cachinnis ea exagitare, meque ipsum ac editionem a me procuratam innumeris et sæpe repetitis conviciis proscindere suarum partium esse existimaret". Cfr. Symbolæ crit. I. præf. sub fin.

[93]) Verba Fausti leguntur in lib. contr. F. XI. 1. XXXII. 1: "quid peregrinum hoc aut quid mirum est, si et ego, de Test. Novo purissima quæque legens et meæ saluti convenientia, prætermitto quæ a vestris majoribus inducta fallaciter, et majestatem ipsius et gratiam decolorant". Cfr. l. l. XXII. 15: "privilegio diabolico, ut,

Tantæ vero arbitrii petulantiæ Augustinus hanc primum salutaris severitatis legem opposuit: omnem rationem dogmaticam a studiis criticis abesse debere, optimum autem veritatis criterium in auctoritate codicum quærendum esse [94]). Quod ut recto modo fiat, exemplaria græca quamplurima, ex diversis regionibus arcessita, conferri jubet, primum veritate eorum explorata: nimirum, si eadem in omnibus lectio expressa sit, vix admitti posse corruptionem [95]), sin discordes inter se sint, plures paucioribus, vetustiores recentioribus, accuratiores neglectioribus anteferendos esse [96]). Neque tamen nostrum fugit, lectionem interdum per facilitatem ipsam suspectam fieri, ideoque in-

---

quicquid est in Evangelio vel Epistolis canonicis, quo adjuvari hæresin suam putant, id esse a Chr. et apostolis dictum teneant atque suadeant, quicquid autem ex iisdem codd. adversus eas sonuerit, immissum ab infalsatoribus ore impudenti ac sacrilego non dubitent dicere". contr. Adim. 3, 2. 15, 1. de morib. Manich. 55. de utilit. cred. 7. de dono persev. 26. Retract. 2, 7. Ep. 82 n. 6.

94) contr. Faust. XI. 2: "Aliud est, auctoritate aliquorum vel librorum vel hominum non teneri, et aliud est, dicere: iste quidem vir sanctus omnia vera scripsit, et illa epistola ipsius est, sed in ea ipsa hoc ejus est, hoc non est ejus; ubi, quum ex adverso audieris: proba, non confugies ad exemplaria veriora vel plurium codicum vel linguæ præcedentis, sed dices: inde probo, hoc illius esse, illud non esse, quia hoc pro me sonat, illud contra me; tu es ergo regula veritatis?" XII. 6, de utilit. cred. 7. de morib. eccl. cath. 61.

95) contr. Faust. XI. 4: "Unum eorum (Rom. I, 3. 2 Cor. 5, 16) non esse Pauli, nullo modo possumus dicere, quia nulla in eo variat codicum auctoritas".

96) de doctr. chr. II. 21. 22. contr. Faust. XI. 2.

ter plures lectiones incertas difficiliorem eligendam esse, de qua nulla permutationis suspicio adesse possit [97]).

His regulis autem, quibus criseos castæ et sanæ prima continentur stamina et elementa, præsertim in Novo Testamento emendando usus et utilitas constabat. Vetus Testamentum vero quod attinet, quum in versione alexandrina nihil scriptum putaret sine singulari quadam dispensatione divina (vid. supr. p. 70 ss.), versiones latinas docuit quidem ad fidem codicum græcorum corrigendas esse, horum vero auctoritatem ita sufficere, ut hebræos codices consulere haud necessarium, ex illis græcos emendare ne licitum quidem esset [98]). Documento libri exegetici sunt, inprimis Enarrationes in Psalmos; in quibus, quum alia sæpe sit in

---

97) Enarr. in Ps. 104 vs. 28: quum codices longe plurimi habent "exacerbaverunt", vix duo "non exacerbaverunt", hanc tamen lectionem præferendam putavit, veritus "*ne forte mendositas propter sensum faciliorem abundaverit*". De cons. Evv. III. 29: (de Matth. 27, 9): "putatur, codd. esse mendosos, qui habent nomen Jeremiæ, quia vel Zachariæ habere debuerunt, vel nullius, sicut quidam, sed tantum" per prophetam dicentem". Sed utatur ista defensione cui placet; mihi autem cur non placeat, hæc causa est, quia et plures codd. habent Jeremiæ nomen, et qui diligentius in græcis exemplaribus Evangelium consideraverunt, in antiquioribus græcis ita se perhibent invenisse; *et nulla fuit causa, cur adderetur hoc nomen, ut mendositas fieret; cur autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit utique causa,* ut hoc audax ignorantia faceret, quum turbaretur quæstione, quod hoc testimonium apud Jeremiam non inveniretur".

98) de doctr. chr. II. 22: "etiamsi aliquid aliter in hebr. exemplaribus invenitur, quam isti (LXX) posuerunt, cedendum esse arbitror divinæ dispensationi, quæ per eos facta est". Ep. 28 n. 2.

versione alexandrina psalmorum divisio, ut, qui in libris hebræis duos faciunt, hîc unum, qui illic unus sunt, hîc in duos divisi, rationem Græcorum ubique secutus est; carminum quoque inscriptiones, quæ apud Alexandrinos locupletiores plerumque et multis additamentis auctæ leguntur, totidem verbis expressit; in singulis autem textus verbis acta omnia arbitratus, si interpretatio alexandrina versione fideli latine exprimeretur.

XIV.

Dotes animi et cognitiones interpreti S. Scripturæ necessariæ.

In operibus Augustini locum insignem *libri quatuor de doctrina christiana* tenent, qui — ut verbis auctoris utar (I. 1) — "sunt præcepta quædam tractandarum Scripturarum, quæ studiosis earum video non incommode posse tradi, ut non solum legendo alios, qui divinarum litterarum operta aperuerunt, sed et aliis ipsi aperiendo proficiant". Illud autem disciplinæ hermeneuticæ tentamen, non antiquitate magis quam usu et pretio præclarum [99]), ita institutum est,

[99]) Iniquius judicavit *Mosheimius* (institutt. hist. eccl. p. 148); "Interpretandi leges ferre voluerunt Tychonius et Augustinus, neuter potuit"; justo parcior quoque in laudando *Rosenmüllerus* fuit, qui: "regularum, inquit, recte interpretandi S. Scripturam non prorsus ignarum fuisse Aug., apparet ex iis, quæ libris suis de doctr. chr. passim inspersit" (hist. interpr. ll. ss. III. p. 406). Æquiorum judicem liber de quo agitur habuit cel. *Schröckium* (chr. Kircheng. XV S. 364 ff.); pretium ejus testantur etiam plurimæ editiones, quarum index exstat in *Schoe-*

ut partim dotes et virtutes describantur, quas ad munus gerendum S. Scripturæ interpres afferre debeat, partim vestigia monstrentur, quæ in officio interpretandi sequenda sint.

Unde vero Augustinum credideris interpretandi studium prodire jussisse, nisi ex pia reverentiæ, fiduciæ sensu, quem cuivis homini christiano notam et insigne esse voluit? Eum nimirum ante omnia postulavit *timorem dei*, qui ad voluntatem ejus cognoscendam omnia referat, a voluntate cognita omnia repetat, eam vero *pietatem*, quæ verbo divino ita credat et cedat, ut nihil magis quam ei contradicere metuat; hujus autem ultimum et suavissimum fructum sapientiam esse docuit, veræ intelligentiæ clavem [100]. Neque diutius tamen huic pietatis officio immoratus est, quod plures credo in libris sacris interpretandis eo peccarunt, quod pietatem unice sufficere, quam eo, quod illam desiderari posse contenderent. Ab his enim, quicunque demum fuere, refutandis Augustinus initium

---

nemanni bibl. patr. latin. II p. 226 ss. Monographias autem, quibus tituli: compendium doctr. chr. ex Augustini libris ed. Theod. *Bibliander*, Basil. 1550, atque: Institutio hermeneut. ex Aug. ll. de doctr. chr. conquisita a *Breithaupt*, Kilon. 1605, inspiciendi nulla fuit mihi opportunitas. — Solet cum opere Augustiniano comparari *libellus Hieronymi de optimo interpretandi genere* (Ep. 101 ad Pammachium); qui tamen, utpote argumenti polemici est, apologiam contra criminationes Rufini continens, et ambitu et usu longe inferior est.

100) II. 9-11. I. 43. 44: "Quum quisque cognoverit, finem præcepti esse caritatem, de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, omnem intellectum divinarum Scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum librorum securus accedat".

scribendi fecit, risu excipiens, quotquot inutiles et vanas esse regulas interpretationis dictitabant, precum vero ardore et assiduitate effici, ut Spiritus S. se in corda hominum demittat, lucem, quæ omnia collustret, accendens. Miram itaque credulitatem perstringit, quæ fidem fabulis habeat de Antonio monacho aliisque, qui sine ulla scientia litterarum Scripturas divinas legerint et intellexerint; pejorem etiam monens eorum stultitiam esse, qui, apostolis se pares et æquales somniantes, studium linguarum, institutiones aliorum, codicum præsidia spernant; illis vero Pauli exemplum ante oculos ponit, qui, voce divina licet compellatus, ad hominem doctorem missus fuerit, ut doctrinam haustu pleniore edisceret. Omnium vero ineptissimos neque ullo modo ferendos eos esse affirmat, qui, quum revelationem quandam singularem unicam ponant veritatis lucem, nulla præceptis hominum utilitate concessa, reliquos homines huic curæ et institutioni divinæ committi non patiantur, imovero eos edocendi, collustrandi, in suam sententiam trahendi studio ac fervore incredibili ferantur. (Prolog. n. 4-8).

Primum autem et gravissimum interpretis præsidium positum esse docet in solida accurataque, quæ defuit ipsi, *linguæ hebrææ et grææ cognitione*; ex versionibus quidem inspectis et invicem collatis lucem haud spernendam repeti posse; sed propter tantum interpretum dissensum, illam linguarum peritiam adeo necessariam esse, ut eas qui ignoret a vero auctoris sensu sæpissime non possit non aberrare.[1]) Deinde

---

[1]) De doctr. chr. II. 14. 16. 17. 19. 21. de civ. D. XV. 14, 2. Ut illustrarentur ea, quæ propter usum loquendi

vero nullum omnino docet scientiæ genus, nullam partem esse, quæ in studiis exegeticis usu suo careat; etenim, sive *res historicas* dixeris, seculis remotioribus gestas, sive ea, quæ *in rerum natura* tanta cum varietate exstant, sive ea, quæ *in rebus civilibus* instituta sunt, omnium eorum notitiam perutilem interpreti esse, quod multa in libris sacris figurate dicta sint, ex rebus obviis similitudine ducta.[2]) Nequaquam igitur audiendos esse, qui litteras profanas homini christiano fugiendas esse clament; quid enim! itane virtutem ipsam et justitiam colere impietatis foret, quum his numinibus templa et festa Gentilium dedicata fuerint; imovero, multifariam eruditionem optimos librorum sacrorum indagatores facere, testem Mosen esse, secreta omni Ægyptiorum sapientia instructum, testes viros in ecclesia celebratissimos, Eusebium, Ambrosium, Lactantium, Optatum, Hilarium al. (II. 43. 61). At esse tamen observat, qui studia sua usui communi fratrum summa cum utilitate impenderint, ut alii voces barbaras et peregrinas, alii res historicas temporumque numeros, alii naturam arborum, herbarum, lapidum subtili diligentia explicaverint; quibus adju-

---

Hebraorum latebant, conscripti sunt libri Augustini: Locutiones de ll. Mosis, Josuæ et Judicum, in quibus hebraismos duriores resolvere conatus est. Cf. de ratione et consilio operis Retract. II. 54.

[2]) II. 40: "hæc tota pars humanorum institutorum, quæ ad usum vitæ necessarium proficiunt, nequaquam est fugienda Christiano, imo etiam quantum satis est intuenda memoriaque retinenda." 28: "nos non propter superstitionem profanorum debemus musicam fugere, si quid inde utile ad intelligendas S. Scripturas rapere potuerimus." 24. 42.

vantibus cognitionis quantum satis est facilius acquiri posse (II. 59); fugiendum autem hîc quoque esse quod nimium est, fugiendam, apostolo monente, scientiam sine caritate vanam et superbia inflantem (II. 59). Denique vero, quum ingenii sagacitas non minus valeat ad ea illustranda, quæ obscurius et ambigue dicta sunt, quam eruditionis copia ad signa ignota solvenda, commendatur magnis laudibus *philosophiæ studium*, quod usum loquendi recte consulere, varia loca accurate inter se conferre atque unum ex altero explicare doceat, maxime vero platonicæ, quæ multa habeat de rebus divinis ac humanis, digna quæ cum oraculis sacris conferantur (II. 60); modo in nimiam ne abeas subtilitatem, quæ minutiis quibusque inhæreat, veritatem minus quam ostentationem ingenii quærens. [3]) Plurimum autem in studiis hisce memoriæ facultatem prodesse monet, ut, si quid alio loco dictum interpretationi inservire queat, facilius menti succurrat (II. 14). Ne multa vero — ut imago interpretis probi et idonei paucis lineis absolvatur, hæc Augustini verba omnium instar iterum iterumque legantur: "*ne amet certamina, pietate mansuetus; præmunitus etiam scientia linguarum, ne in verbis locutionibusque ignotis hæreat; præmunitus etiam cognitione quarundam rerum necessariarum, ne vim naturamve earum, quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret; adju-*

---

[3]) II. 48: "disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sacris sunt penetranda et dissolvenda, plurimum valet; tantum ibi cavenda est libido rixandi et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium." n. 59.

vante etiam codicum veritate, quam solers emendationis diligentia procuravit, veniat ita instructus ad ambigua Scripturarum discutienda atque solvenda." (III. 1.)

Sunt hæc autem neque isti neque uni tantummodo seculo scripta, sed nostro et omnibus quæ fuere temporibus salutariter præcepta, quoniam descripti iis et notati errores sunt, quibus nunquam defuere patroni atque fautores. Corriguntur ii, qui simplicitatem puerilem multis pueriliter jactant, ita eam sufficere putantes, ut præsidia litterarum, artis hermeneuticæ subtilitatem, ingenii judiciique acumen, quæ virum egregie ornant et adjuvant, in litteris sacris inutilia, ne noxia dicam et perniciosa esse contendant; — neque ii minus, qui doctrinam ita facere interpretem statuunt, ut pietatem fidei et verecundiam religiosam neque in eo quærendam neque etiam admittendam esse censeant, quum nemo facile dixerit, in rebus physicis indagandis æstimandisque religionem — nisi superstitionem forte dicas — judicio recto, sano et libero impedimento esse, neque multo magis proficuam et necessariam. Corriguntur deinde ii, qui, mira quadam posita litterarum sacrarum et profanarum distinctione, tetram et austeram faciem scholis theologorum induunt, studia quibus ab humanitate nomen contigit procul a limine removentes, disciplulosque oculo irretorto jubentes incumbere mysteriis dogmatum, donec in iis ægra phantasiæ somnia, extra ea nihil omnino videant; quum certum sit, quicquid ad mentem illustrandam, animum evehendum faciat, laudem sanctitatis habere; imovero, sicut pietas oculo clariore et hilariore cuncta

intueri doceat, ita, ut vera efficiatur pietas, animum requiri luce scientiæ et meditationis collustratum. Neque ii denique impune dimittuntur, qui, quum virtutes humanitatis fructus esse litterarum divinarum debeant, hanc theologorum gloriam, hoc insigne faciunt, igne ferroque, lingua virulenta styloque vipereo, in alios sævire, neque famæ integritate neque fidei christianæ nomine iis relicto, qui de recta interpretandi ratione secus sentire et quod sentiunt profiteri audent.

XV.

Principium hermeneuticum. Regulæ interpretandi logicæ.

Triplex interpretum ratio et institutum commode in scholis theologorum distingui posse videtur: eorum, qui, *in* iis quæ scripta sunt subsistendum esse docent, persuasum sibi habentes, auctores sacros ita verbis voluntatem suam expressisse, ut usu diligenti grammatices, historiæ et philosophiæ vere christianæ effici possit et debeat; — eorum, qui *subter* litteris ingenii vires exercitant, putantes, sensum genuinum et religiosum non verbis simpliciter expressum, sed umbris mystice indicatum esse, quem ex profundis eruere non datum nisi iis esse, qui pectus singulari gratia Dei nescio quomodo præparatum habeant, ut quicquid reliquos mortales lateat mira lucis claritate videant; — eorum denique, qui *extra* litteras scriptas arbitrum et judicem interpretationis quærunt, in auctoritate historica ita acquiescentes, ut ad decreta ejus studium codicis sacri restrictum velint. Primis ecclesiæ seculis mysticæ et ineptæ *allegoristarum*

argutiæ, in quibus exemplo doctores Judæorum præiverant, oblectationi miro modo fuerunt[4]) — scilicet ignorantia ludens doctior videtur;[5]) deinde per medium ævum, dum animi studiorumque libertas durissimis hierarchiæ vinculis constricta suspirabat, *positiva* sive *historica* hermeneutices ratio invaluit; neglectis enim exemplaribus sacris, omnes quotquot propositæ fuerant interpretum antiquiorum sententias cumularunt, ut lectoribus ipsis unam alteramve præferendam relinquerent, vel, si una ceteris probabilior declarata esset, hanc supremo ecclesiæ arbitrio subjicerent;[6]) denique vero, libertate in rebus sacris recuperata, litteris exegeticis earumque præsidiis cum philologicis tum philosophicis auctoritas et honor restitutus est, eoque tandem res pervenit, ut in ecclesia nostra nulla interpreti lex valeat, præter ip-

---

4) Cf. *Rich. Simon.* hist. crit. des principaux Comm. du N. T. p. 6 s.: "Ces sortes d'interpretations mystiques et spirituelles ayant été en usage dès les premiers tems de la religion chrétienne, il semble qu'elles soient nées avec elle." cap. 3-5. *Meyer* Gesch. d. Schrifterklär. I. S. 76 ff.

5) Cf. *Luther* Tischr. c. 2 sub fin. "Mit Allegorieen spielen in der christlichen Lehre, ist fährlich; die Worte sind gemeiniglich fein lieblich u. gehen glatt ein, es ist aber nichts dahinter; dienen wohl für die Prediger, die nicht viel studiert haben, wissen die Historien und den Text nicht recht auszulegen, denen das Leder zu kurz ist, will nicht zureichen; so greifen sie zu den Allegorieen, darinnen nichts gewisses gelehrt wird, darauf man gründen u. fuszen könnte. Darum sollen wir uns gewöhnen, dasz wir bey dem gesunden u. klaren Text bleiben."

6) Cf. *Meyer* l. l. S. 81 ff. 137 ff. *Rosenmüller* hist. interpretat. ll. ss. III. p. 289 ss.

sam Scripturam Sacram, eam vero rationis litterarumque præsidiis scrutandam. Nobis proinde certum esse debet, quo quis magis, fugiens allegoriarum latebras, normam vero auctoritatis externæ detrectans, id agat, ut Scriptores sacri sui arbitri et interpretes fiant, eo melius eum munere suo defungi.

Ita vero quamquam unicuique Scripturas tractandi methodo suum tempus seculumque fuit, quis quæso crediderit, singulos viros doctos ita obnoxios genio seculi fuisse, ut trita vestigia omnes sequerentur? imovero historia, ut læta habet exempla tristibus mixta, neque olim defuisse testatur, qui rectius et liberius de studiis hermeneuticis judicarent, neque vero deesse hodie, qui, libertatem rationis perhorrescentes, ad lusus imaginum recurrere vel jugum servile humeris subire cupiant. Ad Augustinum igitur ut redeat oratio, de *consilio* interpretationis verissime docuit, totam eo tendere, ut sensus et voluntas auctoris quam accuratissime exprimatur; [7]) hoc bene observans, quantum periculum sit, si sensus alienus verbis vel semel illatus fuerit, ne ulterius quoque interpres, invitus quasi et nolens — ut aliquo modo constare sibi videatur — vim Scripturæ sacræ faciat (de doctr. chr. I. 41). *Criterium* autem interpretationis veræ — populariter quidem, sed Novum Test. quod attinet, aptissime — ita constituitur: si quis verum invenisse sibi videatur, neque tamen explicatio ea sit, quæ communi Dei hominumque amori prosit, nondum sensum intellectum esse; sen-

---

[7]) De doctr. chr. II. 6. Confess. XII. 32, 33.

tentiam vero si quis effecerit caritati utilem, neque eam tamen, quam animo habuerit auctor, errare quidem eum interpretando, sed ita errare, ut neque perniciose fallatur, neque contra universam veritatem religionis loquatur (de doctr. chr. I. 39-41).

Modum vero et rationem quod attinet Scripturam sacram tractandi, nulla regula est, quæ sæpius et vehementius lectoribus commendatur, quam de singulis litteris non nimis urgendis, sed reliquis orationis partibus aliisque similis argumenti locis in subsidium vocandis. Hoc quippe neglecto, nihil fere esse monet, quod subtilitate interpretationis ex textu sacro effici nequeat; alia enim ibi omnibus communiter scripta esse, alia singulis temporibus vel personarum generibus;[8]) multa, verbis iisdem expressa, diverso in locis diversis sensu posita esse; multa obscurius et ambigue dicta, multa etiam sic, ut unum alteri repugnare videatur; quare, si effatis singulis inhæreamus, Scriptores sacros nos habituros esse nunc absurda et impia docentes, nunc sibi adeo contradicentes.[9]) Hanc vero interpretandi metho-

---

[8]) Cf. *Luther* Unterr. wie Moses zu lehren ist (Walch III. S. 14): "Man musz mit der Schrift saüberlich handeln u. fahren: man musz nicht allein ansehen, ob es Gottes Wort sey, sondern vielmehr, zu wem es geredet sey, ob es dich treffe oder einen Andern."

[9]) De fide et operib. n. 5: "errant homines, non servantes modum; et quum in unam partem procliviter ire cæperint, non respiciunt divinæ auctoritatis alia testimonia, quibus possint ab illa intentione revocari, et in ea, quæ ex utrisque temperata est, veritate ac moderatione consistere." de doctr. chr. III. 25. 35. de cons. Evang. n. 72. contr. Gaudent. I. 38: "non debe-

dum pravam et perniciosam — quam neque nos præcipuum errorum et superstitionum fontem declarare dubitamus — eo gravius Augustinus damnavit, quod eam foecundam esse vidit hæresium matrem atque nutricem; Ariani namque, Donatistæ, Manichæi, alii hanc omnes secuti sunt rationem, ut singulas librorum sacrorum particulas, nexu evulsas decerperent et misere premendo torquendoque sibi conciliarent; quod dum agerent, neque Arianis difficile fuisse monet, doctrinam ecclesiæ nomine Tritheismi accusare, neque Donatistis inexorabilem in Lapsos severitatem auctoritate divina defendere, neque Manichæis impuritatem matrimonii divinis testimoniis probare, neque aliis impiam hanc thesin defendere: ita per se sterilem sufficere fidem, ut vitæ integritas operumque pietas abesse impune possit.[10]) Illi igitur perversi-

mus quicquid in Scripturis etiam Dei testimonio laudatos homines fecisse legimus, consentiendo approbare, sed considerando discernere, adhibentes judicium non sane nostræ auctoritatis, sed scripturarum sanctarum, quæ nos neque illorum hominum omnia vel imitari vel laudare facta permittit, si quæ non recte ab iis facta sunt, vel huic jam tempori non conveniunt."

10) De fide et operib. n. 5. 6. 21. Contr. Adim. XIV. 2: "istorum fraus, qui particulas quasdam de Scripturis eligunt, quibus decipiant imperitos, non connectentes, quæ supra et infra scripta sunt, ex quibus voluntas et intentio scriptoris possit intelligi." Contr. Faust. XI. 4. Cf. *Luther* Erkl. d. Ep. an d. Gal. (VIII. S. 2658): "Die Leser der h. Schr. sollten allen Worten insonderheit aufs fleiszigste nachdenken, was vor u. nach stände mit einander aufs genaueste vergleichen, u. allen Fleisz dahin wenden, dasz sie einen ganzen, gewissen u. völligen Verstand aus einem Text fassen möchten; sollten

tati legem opposuit hanc: si quid ambigue dictum sit, cura diligenti consulenda esse quæ prius et quæ posterius dicta sint, ut huic vel illi explicationi suffragium inde feratur (de doctr. chr. III. 2); quodsi autem sic etiam obscuritas maneat, sumenda esse ex locis manifestioribus exempla, ut dubitatio testimoniis apertis tollatur;[11]) ita demum integram et sanam effici doctrinam, ex testimoniis omnibus æqualiter compositam temperatamque.[12])

Sed dixerit aliquis, ita nonnulla, licet pauca admodum, in Sacro Codice dicta esse, ut, summa etiam interpretationis cura et diligentia adhibita, dubitari possit, quid senserit ille qui scripsit, quidque dicere aliis voluerit. Quod quidem Noster concedens,[13]) ad conjecturas confugere improbat et vetat, nisi forte quæ scripta sunt absurdum sonent,

---

nicht also die Worte verstümmeln, u. etliche nach ihrem Gefallen herauszwacken, denen sie darnach einen Verstand u. Deutung dichten, wie sie gelüstet."

11) De doctr. chr. II. 14: "ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant.." III. 37, 38. de unit. eccl. n. 8. 9. de quæst. Dulcit. n. 5. 11. de fide, spe et charit. n. 67. 68. de conjug. adult. n. 12. de civ. D. XX. 5, 4. de pecc. mer. et remiss. III. 7. 8. Ep. 147.

12) De fide et operib. n. 7: "nos ad sanam doctrinam pertinere arbitramur ex utriusque testimoniis vitam sententiamque moderari."

13) De doctr. chr. III. 4: "Rarissime et difficillime inveniri potest ambiguitas in propriis verbis, quam non aut circumstantia ipsa sermonis, qua cognoscitur scriptoris intentio, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ solvat inspectio."

adeoque periculum adsit, ne lectores aut offendantur aut a fide profitenda deterreantur. (de Gen. ad litt. V. 23). Plerumque satis esse in tanta verborum obscuritate docet, efficere sensum, cui neque verba neque fidei analogia repugnent, ut veritatem si non localem et relativam at objectivam tamen et absolutam habeas.[14]) Egregia autem, ubi clara verbi divini documenta desunt, virtutes humanitatis et modestiæ in interpretatione tuenda decere; neque eos facile ferendos esse, qui, sui magis quam veritatis amantes, voce aspera et acerba in aliter explicantes sæviant. Imo si quis alios more ferarum mordere officium religionis piique studii jactare velit, objicitur, caritatem ita studiorum sacrorum finem et metam esse, ut a pietate nihil magis alienum sit, quam caritatem offendere; veram autem pietatem esse, in Scripturæ obscuritate, superbiæ flatu cohibito, cunctanter potius quam fidenter loqui.[15])

---

[14]) De doctr. chr. III. 38: "Quando ex iisdem Scripturæ verbis non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi latet, quid senserit ille, qui scripsit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis SS. Scripturarum doceri potest. — Ille quippe auctor in verbis et ipsam sententiam forsitan vidit, et certe Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione prævidit, imo ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixa, providit." III. 5. 6. Confess. XII. 27.

[15]) Confess. XII. 32, 33, 34: "Si mihi diceret: unde scis, hoc sensisse Mosen, quod de his verbis ejus loquaris, æquo animo ferre deberem; quum vero dicit: non hoc ille sensit, quod tu dicis, sed quod ego dico; *o vita pauperum, Deus meus, plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt, quia*

Quæ quidem omnia quam præclare monita sint, quam digna, quæ memoriæ mentique theologorum omnium inscripta maneant, nemo puto negaverit, nisi qui, secus sentiens et agens, dubito an theologi nomine indignus haberi debeat.

XVI.

Regulæ interpretationis allegoricæ.

Difficilis certe omniumque fere difficillima in re hermeneutica quæstio versatur in iis, quæ sensu proprio et litterali, iisque, quæ improprio et figurato intelligenda sint discernendis distinguendisque, quoniam ab utraque parte periculum non leve adest, ne, si ad litteras omnia revocaveris, sensus et spiritus verborum te fugiat, litteris autem in figuras imaginum mutatis, ne arbitrii lusibus interpretatio tota committatur. Utriusque rei jam seculis primis exempla aderant, Alexandrinorum, qui verborum lusores potius quam interpretes dicendi sunt, Manichæorum autem, qui, ut libros Vet. Test. contumeliis ludibriisque imperitorum exponerent, singulis litteris mordicus inhærebant; [16]) neque parum laudis igi-

divini sunt, sed quia superbi sunt, neque noverunt Mosis sententiam, sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est." n. 35. 41. 42: *"In hac diversitate sententiarum verarum concordiam pariat ipsa veritas, et Deus noster misereatur nostri, ut legitime lege utamur præcepti fine, pura caritate."* De pecc. mer. et remiss. II. 59. III. 18. de anima et ejus orig. I. 16. 17. 27. 33. Ep. 83 n. 34. 164 n. 4.

[16]) De Gen. contr. Manich. II. 19: "Manichæi si non coeci legerent, intelligerent, quomodo accipiendæ sint V. T.

tur eo nomine Augustinus habet, quod mediam quodammodo viam et ipse tenere et aliis præcipiendo monstrare conatus est, etsi non mirandum certe — si meminerimus, eum, sectæ Manichæorum aliquando addictum, nihil deinde gravius duxisse quam errores eorum fugere et impugnare (Confes. s. V. 24. VI. 6. 8.) — quod justo magis ad rationem allegoristarum inclinavit.

In litteris autem ita subsistere, ut signa verborum pro rebus, quæ iis significantur, teneas, servilis esse monet infirmitatis, imo mortem animæ dicendam, si quis, in elementis corporeis defixus, sublimius ad lumen æternum conspiciendum evolare nequeat;[17]) exemplo Judæos esse, qui hebetes animoque obtusi sermones Domini viventes spirantesque neque ferre neque intelligere potuerint; Christianos autem, libertate sua utentes, sensum profundiorem ex latebris verborum protrahere debere.[18]) Nequaquam vero licere in signis istis interpretandis, neque modo servato neque regulis constitutis, huc illuc temere vagari — neque prudens aliquis cervicem a jugo servitutis exemtam laqueis erroris irretiendam dederit; — imo melius fore esse, signis incognitis sed utilibus premi, quam inutili ineptoque labore sanctas et arcanas vires eorum in auras effundere.[19]) Proinde, ne sine necessitate sensu litterali relicto ad interpre-

scripturæ, neque tam sacrilega voce auderent accusare quod nesciunt."

17) De doctr. chr. III. 13. cf. supr. p. 96.

18) De doctr. chr. III. 5. de cons. Evangg. II. 76.

19) De doctr. chr. III. 13.

tationem allegoricam confugiatur,[20]) regulam sequendam esse hanc: "*quicquid in sermone divino neque ad morum honestatem neque ad fidei veritatem proprie referri possit, figurate dictum esse*" (de doctr. chr. III. 14). Acute tamen et aptissime hoc loco monuit: quod ita dictum sit, ut seculi recentioris ingenium offendat, non ideo mox turpe et inhonestum existimandum esse — quippe flagitium non tam in usu rerum, quam in libidine utentis positum esse[21]); — verum si quid dictum vel factum sive a Deo sive ab hominibus tradatur, quorum sanctitas laudibus ornatur, quum omni virtutis pietatisque principio adversetur, aut ita præceptum, ut flagitium fieri jubeat, quod honestum est prohibeat, hæc dubitari non posse quin figurate intelligenda sint, hæc igitur arte hermeneutica tractari deberet, usquedum sensus evadat veritati pietatique congruus.[22])

Hæc quidem, si ab una parte considerantur, ita certe dicta videntur, ut pietati pariter ac veritati egregie consultum sit; quis enim negaverit, omnia

---

20) De Gen. contr. Manich. II. 5: "Sane quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt secundum litteram accipere, et potuerit evitare blasphemias, et omnia congruentia fidei cathol. prædicare, non solum ei non est invidendum, sed præcipuus multumque laudabilis intellector habendus est. Si autem exitus nullus datur, ut pie et digne Deo quæ scripta sunt intelligantur, nisi figurate atque in ænigmatis proposita ista credamus, modum quem intendimus teneamus, et omnes istas figuras rerum explicemus."

21) De doctr. chr. III. 15-19. 26.

22) De doctr. chr. III. 18. 23. 24. de spir. et litt. n. 6. contr. Faust. XXII. 96. Confess. VI. 6.

prius ferenda esse, quam ut concedatur in oraculis doctrinæ revelatæ aliquid contra veritatem pietatemque propositum? quis autem, quum usus figurarum et imaginum in libris sacris frequentior sit, tutissimum non aptissimumque existimaverit, illas in iis inprimis locis admittere, quæ aliquam impietatis speciem habere videri possent? At enimvero — ut hoc *primum* moneam — quum distinguere ante omnia Augustinus debuisset ea, quæ de rebus fidei agunt, ab iis quæ historice vel poetice dicta sunt, eo inprimis peccavit, quod de utroque sacrorum librorum volumine deque omnibus utriusque libris constituit, quod nonnisi de graviore et essentiali librorum parte, maxime vero Novi Testamenti, affirmare licet; in libris enim, ut sunt hebræi, generis mixti, historici et poetici argumenti, quorum magna pars in rebus politicis et civilibus versatur, ea vero, quæ ad religionem morumque disciplinam pertinent, usibus unius populi rudis et inculti accommodata sunt, quomodo non multa contra rectiores et nobiliores de rebus divinis humanisque notiones dicta et laudibus commendata credideris? ista vero omnia ad campum allegoriarum referre, fidem historicam prorsus evertere foret, omnemque interpretationis sobrietatem et constantiam uno ictu tollere. *Deinde,* quamvis non pauca bene et prudenter observata sint, ne nimiæ interpretandi licentiæ janua pateret, supremum tamen arbitrium sensui qui hominibus inest honesti et decori traditum atque commissum esse voluit; quod quidem nescio quomodo constare possit, non dicam cum auctoritate revelationis divinæ, sed

cum justo principio hermeneutico, quod consilium auctoris legem et normam interpreti esse jubet. Quare, si quid video, ita regula instituenda fuisset: figuras orationis admittendas esse, si aut ex verbis auctoris certum sit, aut ex aliis Scripturæ locis probabile, auctorem ipsum quæ scripserit non proprie intellecta voluisse. Certe quidem, quum imago verbis apertis sæpissime non indicata sit, sensus veri, boni et honesti primum consulendus est, ut suspicio moveatur et judicium rectiore vestigio dirigatur, verum — quod gravitas rei postulat — ingenio nostro ne nimis confidamus, indicia et argumenta ex ipsis Scripturæ testimoniis petenda sunt. Ita, ut exemplo utar ex Augustino petito (Ser. 98 n. 3): miracula Christi non tam ideo patrata esse, ut mira et portenta oculis exhiberentur, quam ut doctrina modo visibili quasi appareret, viam fidei parans, fatentur omnes, Domino ipso neque uno loco affirmante; sed — ut unum hoc afferam — filiam Jairi, juvenem Nainiticum et Lazarum typos hominum propositos esse, qui ex morte peccati vitæ restituantur, idque sic, ut puella, in domo jacente, homo adumbratus sit in corde libidini assentiens, juvene feretro jam elato homo, qui voluntatem pravam agendo exseruit, viro autem in sepulcro putente homo, mole terrena quasi malæ consuetudinis oppressus (de ser. Dom. in monte I. 35), — lusus ejusmodi ingeniosos fortasse et bene inventos, sed litterarum dignitate æque ac Scripturæ sanctitate indignos dicimus; hæc omnia enim ingenii sagacitati ita debentur, ut ex libris ipsis nullum ne minimum quidem testimonium adduci possit. Hoc vero

est, in quo graviter Augustinus, et alii cum eo multi errasse videntur, quod, nexu orationis et consilio scribendi auctoris omnino neglecto — contra regulam, quam dederat ipse (vid. p. 147) — ad interpretationem allegoricam nihil præter aliquam verborum congruentiam postulavit, sive quod putaverint, sensum mysticum auctori occulte obversatum esse, sive hoc potius, Spiritum Sanctum stylum scribentis ita moderatum esse, ut, licet ipse sensum simplicem propriumque exprimere vellet, alius idemque sublimior et secretior sensus verba subiret. Sic autem ingenium, quod sibi lex et norma factu est, remissis frenis invehitur, nihil nimium putans, modo sagacitatis laudem habeat, nihil profanum, modo umbra pietatis servetur; de omni vero meditationis sobrietate, de artis hermeneuticæ dignitate, de doctrinæ religiosæ integritate actum esse, quis non videt? Quod ne temere vel justo durius dixisse videar, sufficiat hoc loco ad ea provocare exempla, quæ ex libris Augustini exegeticis infra proponenda erunt.

Campum vero interpretationi allegoricæ latissime patentem principia ista parabant libros Veteris Testamenti, eumque commodissimum certe; quoniam ita non opus fuit multis probare, singula sic facta vel dicta esse, ut defendi rationis judicio possent, modo rerum futurarum præfigurationem aliquam elicere ex iis liceret (contr. Faust. XXII. 83). Quatuor proinde docuit in explicatione horum librorum rationes diversas ineundas esse: secundum *historiam*, docendo, quid dictum aut quid gestum sit, secundum *ætiologiam*, quum ostenditur, qua de causa quid vel fac-

tum vel dictum sit, secundum *analogiam*, qua demonstratur, non sibi adversari duos Veteris et Novi Testamenti codices, secundum *allegoriam*, quum docetur, non ad litteram aliquid, sed figurate intelligendum esse (de utilit. cred. n. 5). Omnium vero primam et gravissimam rationem allegoricam esse docuit, libris quippe Veteris Testamenti seriem quasi continuam mysteriornm exhibentibus [23]), ut singula Christi et ecclesiæ fata, instituta, res gestæ suos haberent typos et ænigmata, neque eos verborum solummodo, sed rerum etiam signis indicatos; videlicet, "ut consuetudo humana verbis, sic potestatem divinam factis potissimum loqui". (Ep. 103 n. 33). Ita quæ lege præcepta sunt de sabbato, de circumcisione, de sacrificiis, quæ mira et solennia populo Israelitico evenerunt, hæc omnia prophetice gesta, prophetice scripta declaravit, in terra quidem, sed coelitus, per homines, sed in coelo facta [24]); maximam vero et immensam mysteriorum copiam in li-

[23]) Enarr. in Ps. 136 n. 7: "diximus, omnia, quæ secundum litteram in illa civitate (Hierosol.) contingebant, figuras nostras fuisse". Ser. 4 n. 8 ss. contr. Faust. XII. 7: "Quis potest, non dico una brevi responsione, sed quolibet ingenti volumine omnia commemorare præconia prophetarum de Dom. nostro J. Chr., quandoquidem omnia, quæ illis continentur libris, vel de ipso dicta sunt vel propter ipsum". de mendac. n. 26. "Hæc potest quisque ad allegoricam significationem referre, quamvis gesta esse nemo ambigat, sicut sunt fere omnia in libris V. T.; quis enim ibi aliquid audeat affirmare ad figuratam prænuntiationem non pertinere?"

[24]) de civ. D. XIII. 21. XVI. 27, 1. 37. Enarr. in Ps. 113 ser. 1 n. 1.

bro Psalmorum reperire sibi visus est, nihil fere dictum in iis perhibens, nisi aut Christi aut ecclesiæ aut utriusque voce intelligendum; titulos, qui in fronte inscripti sunt, non in historicam rerum memoriam, sed in adumbrationem rerum futurarum scriptos explicavit (Enarr. in Ps. 59 n. 1. 2.); et quum criteria certa constitui debere res ipsa docet, quibus oracula messiana a reliquis dignoscantur: auguria de rebus futuris deque beata rerum restitutione et seculo aureo, rege divinæ originis potentissimo auctore, horum exploratio ita a Nostro neglecta est, ut omnes fere psalmi, ii etiam, quos inscriptio et argumentum pariter docent ad res præteritas spectare, vaticinia ævi Messiani esse contenderet [25]).

XVII.

Traditio ecclesiæ hermeneutica. Novum Testamentum norma Testamenti Veteris interpretandi.

Nihil esse quod majestati librorum sacrorum, quod vero illorum intellectui, quod libertati Christianorum magis repugnet, quam si auctoritas humana divinâ ita superior fiat, ut certa quædam hominum interpretatio unice vera declaretur, a qua discedere non liceat, doctrina ecclesiæ nostræ fundamentalis est [26]), quam neque probare neque commendare hu-

---

[25]) de civ. D. XVII. Enarrationes in Psalmos (passim).

[26]) *Form. Concord.* epit. (præf.): "Sola sacra Scriptura judex, norma et regula agnoscitur, ad quam, ceu ad lapidem lydium, omnia dogmata exigenda sunt et judicanda, an pia, an impia, an vera et falsa sint. Cetera

jus loci est. Humanam auctoritatem vero non singulorum modo hominum dicimus, sed eam quoque, quæ ecclesiæ consensu sancita est; siquidem ecclesia visibilis hominum societas ita constituta et composita est, ut neque ex litteris sacris neque documentis historicis divina ejus auctoritas comprobari possit. Hoc autem etsi luce diurna clarius videtur, eousque tamen perventum esse in ecclesia Christi, ut scriptores sacri decretis pontificum conciliorumque subjecti essent, nemo est qui ignorat; cujus quidem impietatis ratio prima repetenda videtur ab impatientia aliqua seu nimia sciendi cupiditate cum credulitate conjuncta; quæ, quum iis contenta non esset, quæ Deus hominibus litteris scriptis innotescere voluit, neque vero longam et arduam meditationis viam inire auderet, novam sibi subsidiariam finxit revelationem, ut prior illa interventu ecclesiæ plenior, certior, clarior fieret. Tum vero dira clericorum imperandi cupido accessit; qui, quum novum Scripturæ codicem concinnare non licuit, commodissimum judicarunt, ejus quæ aderat interpretationem sibi vindicare.

Augustinus autem, quam sufficientiam Scripturæ sacræ inter singulas etiam obscuritates et ambiguitates pie et sapienter defendisse vidimus (p. 126),

autem symbola non obtinent auctoritatem judicis — hæc enim dignitas solis sacris litteris debetur — sed duntaxat pro religione nostra testimonium dicunt eamque explicant, ac ostendunt, quomodo singulis temporibus sacræ litteræ in articulis controversis in ecclesia Dei a doctoribus, qui tum vixerunt, intellectæ et explicatæ fuerint, et quibus rationibus dogmata cum S. Scriptura pugnantia rejecta et condemnata sint”.

nondum quidem interpretationem arbitrio ecclesiæ omnino committendam duxit; attamen, ut multa, usu communi ecclesiæ recepta, in eodem loco habenda putavit, ac si dicta ab apostolis essent [27]), ita in libris sacris quoque interpretandis magnam et nimiam certe auctoritatem traditioni ecclesiæ concessit. Sæpius namque "præscriptionem aliquam et regulam fidei veritatis", commendavit in consensu ecclesiæ positam [28]), quam tanti ponderis esse docuit, ut in locis incertæ et dubiæ interpretationis unice sequenda esset, ne quid contra catholicam fidem proferretur [29]). In quo non eam certe sapientiam et modestiam improbamus, quæ interpretationes ac typos doctrinæ, eximia virorum annorumque auctoritate graves, magni æstimat neque sine verecundia explorat, sed reprehendimus, quod ea judicandi libertas, quam Scriptura sacra singulis vindicatam voluit, judicio ecclesiæ, ac si Dei judicium esset, servili modo subjicitur.

Sed alia est eaque majoris momenti norma interpretandi, Novum Testamentum dico, a quo et Augustinus et alii multi ita pendere volunt Veteris Test. explicationem, ut, si Christus vel apostoli certum loci alicujus usum constituerint, nefas sit alium sensum lit-

---

27) de Bapt. II. 12: "multa, quæ non inveniuntur in litteris eorum (app.), neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur".

28) de doctr. chr. XIV. 5. 6. de civ. D. XV. 7, 1. de Gen. contr. Manich. II. 3.

29) Ser. 7 n. 3. de div. quæst. 69, 1. contr. Faust. XXII. 95. de Gen. ad litt. XI. n. Tract. in Joh. [99 c. 16, 9. contr. Julian. VI. 11. Epist. 164 n. 6.

teris tribuere. Expressis verbis nulibi quidem hoc interpretationis principium propositum ab Augustino inveni; neque vero opus illis erat, quum negaret, licere homini christiano dubitare, Davidem esse psalmi 110mi auctorem (ob verba Christi, Matth. 22, 43); hunc autem neque non Ps. 69mum, propter usum et applicationem apostolorum, scriptos de Christo esse [30]); neque ipse dubitavit contra manifestam et argumenti et inscriptionis fidem carmen aliud ad Christum referre [31]).

Ita vero si quis cum Augustino statuit, pariter, si quid video, concedere debet, effata Veteris Testamenti legi a nobis debere, non ut expressa textu hebræo sunt, sed ut in evangeliis et epistolis sive ex versione alexandrina sive ex memoria adhibita sunt. At enimvero neque rei criticæ vel hermeneuticæ magistros unquam se Christus et apostoli professi sunt, neque rem exegeticam accuratius unquam tractarunt, usum religiosum et practicum magis quam historicam verborum interpretationem curantes. Quippe liberior omnino et ab acribeia nostra admodum diversa erat temporibus istis libros tractandi usuque adhibendi ratio, adeoque multa prophetarum poetarumque verba eodem fere modo in Novo Test. excitata invenimus,

30) de civ. D. XVII. 14. Enarr. in Ps. 68 ser. 1. n. 1. Ps. 109 n. 3. Ps. 113 ser. 1 n. 4.

31) de unit. eccl. n. 22: "Ps. 71 (72) in Salomonem titulatur; sed quia ita dicta sunt, quæ in illum, regem temporalem et postea graviter peccantem, convenire non possunt, etiam contra Judæos de Christo esse prædicta invictissime defenduntur; nullus autem hoc Christianus negat" (!).

quo nos versiculos poetarum, licet de aliis rebus atque personis dictos, sermone vel libris scriptis recipere non dubitamus, ut verbis nostris gravitatis vel jucunditatis aliquid accedat. Quare si quis illi regulæ se adstrinxerit, faciet certe quod neque pietas ullo modo suadeat, neque cum veritate constare possit; multa enim Vet. Testamenti loca alio longe sensu dicta esse, neque nisi per applicationem ingeniosam ad Messiam tracta esse, justa textus exploratio docet. Quæ quum ita sint, postulat a nobis certe officium interpretis, ut, ad textum hebræum recurrentes, ex ipsis verbis totoque orationis nexu et consilio sensum constituamus; quo demum facto, oportet pietati consulendi causa ad usum verborum religiosum attendere, quem auctoritate Novi Testamenti monstratum commendatumque habemus.

SECTIO TERTIA.

Exegesis Augustini selectis exemplis illustrata et æstimata.

XVIII.

Libri Augustini exegetici.

Libri Augustini, etiam qui in argumento mere philosophico versantur, ita tantum non omnes comparati sunt, ut ad litteras sacras crebro recurrant, testimonia, quibus adversarii feriantur, inde repetentes; unde fit, ut symbolæ interpretationis biblicæ in nullo facile volumine frustra quærantur, plurimæ vero in iis reperiantur libris, qui Arianis, Manichæis, Donatistis, Pelagianis aliisque sectis auctoritati ecclesiæ infestis oppositi sunt. Itaque quæ nostri consilii ratio est nullum e libris Augustini negligi prorsus patitur, accuratius autem eos qui polemici argumenti sunt perlustrari jubet, denique singulari opera et cura tractari, qui in unum alterumve librum propheticum vel apostolicum commentarios ferant,[1]) ut ea,

[1]) Interpretationes Augustini, per omnes libros dispersæ, diligenter a pluribus in unum collectæ et compositæ sunt: Augustini tam in V. quam in N. T. commentarii ex omnibus ejus lucubrationibus collecti. Venet. 1543 (in 4to.) — Augustinus in N. T. sive Commentarius in N. T., quem ex omnibus Aug. operibus composuit *Jos. Voisin.* Paris. 1659. — *Lenfant:* Biblia Augustiniana s. collectio

qua valuerit auctor, interpretandi ars justo oculo æstimetur, virtutibus vitiisque trutina utrinque collatis.

Litteras exegeticas autem in ecclesia latina multo serius quam in græca studiis doctis excultas esse, ex annalibus constat; ante tempora Augustini enim, cui æquales erant Ambrosius et Hieronymus, nemo est — si Hilarium Pictaviensem excipias — qui Scripturas sacras nisi prætereundo, festinantius et carptius interpretatione tractavit. Eo magis vero diligentia laudanda est, quam studiis hisce Noster impendit, quæ tanta erat, ut non solum numero librorum, qui commentarios integros et continuos exhibent, Ambrosium atque Hieronymum superaret, sed opera etiam annis prioribus exarata curis novis castigando mutandoque postea emendaret. Libri ejus exegetici vero, temporis ratione dispositi, hi sunt:

De Genesi contra Manichæos libri duo (cap. 1-3), a. fere 389: "apertissime adversus eos editi sunt in defensionem veteris legis, quam vehementi studio vesani erroris oppugnant." Retract. I. 10.

De Genesi ad litteram liber imperfectus (cap. I, 1-26) a. fere 393.... "non ausus naturalium rerum secreta ad litteram exponere, h. e. quemadmodum possent secundum historicam proprietatem quæ ibi dicta sunt accipi, volui experiri in hoc quoque negotiosissimo ac difficillimo opere quid valerem; sed in scripturis exponendis tirocinium meum sub tanta sarcinæ mole succubuit: et nondum perfecto uno li-

---

et replicatio omnium locorum S. Scr., quæ reperiuntur in omnibus S. Aug. operibus. Lutet. Paris. 1661 (2 Voll. in fol.)

bro, ab eo quem sustinere non poteram labore conquievi." Retr. I. 18.

De sermone Domini in monte libri duo (Ev. Matth. c. 5-7), a. fere 393. Multa hîc bene, egregie etiam observata sunt, ad veritatem sensus ex figuris orationis eliciendam. Cf. Retr. I. 15.

Expositio quarundam propositionum ex Ep. ad Romanos, lib. 1, a. fere 394. Omnia breviter tractata sunt, neque serie continua; sic desunt inter alia c. 5, 1-12. Cf. Retr. I. 23.

Expositio Epist. ad Galatas, lib. 1, a. fere 394. Commentarius perpetuus, isque multis acuminis sobriæque criseos notis eximius. Cf. Retr. I. 24.

Epist. ad Romanos inchoata expositio, lib. 1, (c. 1. 1-7), a. fere 394: "deinde alia volumina cessavi adjungere exponendo epistolam totam, ipsius operis magnitudine ac labore deterritus, et in alia faciliora deflexus sum." Retr. I. 25.

Quæstiones Evangeliorum, libri duo (in locos selectos Ev. Matth. et Lucæ), a. fere 400: "hoc opus non ita scriptum est, ac si evangelium exponendum ex ordine susceptum esset a nobis, sed pro arbitrio et tempore consulentis, cum quo legebatur, si quid ei videbatur obscurum; ideoque multa et fortassis obscuriora prætermissa sunt." Prolog. libri. Cf. Retr. II. 12.

Annotationes in Job. lib. 1, a. fere 400: "liber utrum meus habendus sit, an potius eorum, qui ea, sicut potuerunt vel voluerunt, redegerunt in unum corpus, descripta de frontibus codicis, non facile dixerim; — neque editum a me dici vellem, nisi quia

scio fratres id habere, quorum studio non potuit denegari!" Retr. I. 13.

De consensu Evangelistarum libri quatuor, a. fere 400. De quibus vid. supr. p. 106. Cf. Retr. II. 16.

De Genesi ad litteram libri 12 (c. 1-3), a. fere 401; de quibus Aug. modeste sed juste sic ipse judicat: "plura quæsita quam inventa sunt, et eorum quæ inventa sunt pauciora firmata; cetera vero ita posita, velut adhuc requirenda sunt." Retr. II. 24.

Locutionum in Heptateuchum (libb. Mosis, Josuæ et Judicum) *libri septem*, a. fere 415: "notatis locutionibus singulorum, quæ minus usitatæ sunt linguæ nostræ, quas parum advertendo sensum quærunt qui legunt, et nonnunquam exsculpunt aliquid, quod a veritate quidem non abhorreat, non tamen id sensisse auctor, a quo hoc scriptum est, invenitur." Retr. II. 54.

Quæstionum libri septem (in eosdem libros nuper nominatos), a. fere 415: "quæ ibi disputantur, magis quærenda proposui, quam quæsita dissolvi, quamvis multo plura in eis mihi videantur ita pertractata, ut possint etiam soluta et exposita non immerito judicari." Retr. II. 55.

Tractatus 124 *in Evang. Johannis, et* 10 *in Epist. ejus primam*, a. fere 416. Commentarius perpetuus multisque nominibus insignis; epistolæ interpretatio desinit in c. 5, 3.

Enarrationes in Psalmos 150; opus prolixius, quod præter diligentiam ingentem et bonam voluntatem pauca habet laudanda, multa ita temere et inepte disputata, ut vix excusari nedum defendi queant.

Sermones 183, diverso tempore habiti, in locos selectos ex omnibus Vet. Test. libris, in Evangelia et Epistolas Pauli atque Johannis.

Licet fortasse his etiam addere *quæstiones in Evang. Matth. septendecem,* inter opera Augustini, etsi dubia critica non desunt, a Benedictinis (t. III. p. 2da, pag. 200) receptas, nomine auctoris tamen in fronte non prænotato. Expositionem vero *Epistolæ Jacobi,* cujus mentionem invenimus factam in Retract. II. 32, temporis injuria periisse, non mediocriter dolendum est; turbas et commotiones enim in ecclesia excitatas, ex quo Paulus multis visus est Jacobo adversari, quis Augustino melius componere potuisse et composuisse censendus est!

* * *

Munus interpretis Sacræ Scripturæ si per singula eundo explicare atque in partes quasi dissolvere velis, officia sic unum alterum excipere videntur, ut curis *philologicis* primum genuina verborum vis et significatio constituatur, nexus autem et construendi ratio ex anomaliis grammaticis expediatur, quicquid vero emphatice, hyperbolice, tropice et figurate dictum sit, justo modo resolvatur, — deinde, viâ *historicâ* genio ævi illius cognito, meditandi, loquendi, disputandi ratione populi illius populorumque affinium explorata, rebus rationibusque privatis, quas inter auctor vixerit vel quas scribendo respexerit, quoad fieri potest indagatis, efficiatur, quid auctor, hoc tempore, hoc in populo vivens, hos inter homines versatus, his studiis vel negotiis occupatus, hoc genere scribendi usus, stylo exprimere voluisse censendus sit?

— denique vero, ut momentum *dogmaticum* — quæ summa rei est — recte constituatur, jubet necessitas in hisce nondum subsistere, sed quæ dicta, inprimis quæ difficilius, obscurius dicta sunt, ita ad *plenam fidei s. Scripturæ analogiam* referre, ut appareat, quomodo ex omnibus in unum collatis integrum doctrinæ corpus efficiatur, tum vero ex typo universali singula luce sua illustrari justoque modo æstimari debeant. Sic igitur studiis grammaticis, historicis, dogmaticis arcta copula conjunctis, neque subtilis verborum indagatio, neque accurata rerum historicarum cognitio, neque justa orationis et nexûs exploratio sufficient — quamquam sine illo prævio labore nihil bene agitur — sed ipsa doctrinæ religiosæ indoles, quam auctores sacri ex suo quisque ingenio proposuere, suprema erit interpretandi lex et regula; ita enim quid demum agimus, nisi ut ex toto doctrinæ genio singula, ut ex spiritu litteræ explicentur. Quæ quum ita sint, ut de Augustino interprete judicium ab omni parte justum æquumque feratur, alia præter eam quam indicavimus via iniri non debet. Sed monendum hoc ante omnia est, rationes externas cum magno sane interpretationis detrimento ab Augustino neglectas esse, ut de interpretatione historica ne sermo quidem esse possit; quippe quum litteras scriptas ex scriptis unice explicare conaretur, nulla eorum habita ratione, quæ in auctorum, lectorum, totius populi vel seculi conditione posita plurimum ad consilium orationis recte assequendum conferunt, tantum etiam, ut salva vera intelligentia sæpe ignorari nequeant. Nobis igitur in iis subsistendum erit, quæ

in interpretatione philologica atque dogmatica Augustino debentur.

A.

Curæ interpretationis philologicæ.

XIX.

Versionum auctoritates servili modo retentæ.

Ex iis quæ ante allata sunt (p. 77, 135-39) constat, Augustinum haud quidem in verba versionis Italæ ita juravisse, ut non corrigendo emendandoque cum ad versionem alexandrinam tum ad Novi Testamenti codicem subinde recurrerit. Verum illa tamen pauca imo paucissima sunt; sexcenties enim mendas et errores ex versione latina receptos invenies, sic etiam, ut verba sæpius sine sensu idoneo exhibeantur. Pauca hæc afferre sufficiat:

Matth. 15, 5: *δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς*: "Munus, quodcunque est ex me, *tibi proderit (!)*, i. e. quod offers causa mei, ad te jam pertinebit; quibus verbis significant filii, jam non sibi opus esse oblationis, quod ad eam ætatem pervenissent, ut possent jam ipsi offerre pro se." Quæst. Evang. I. 16.

Joh. 8, 25: *τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν:* "*principium,* quod et loquor vobis." Tract. in Ev. Joh. ad l. l.

— 10, 29: "pater meus *quod* (*ὅς*) dedit mihi, *majus* (*μείζων*) est omnibus. Quid dedit Filio Pater majus omnibus? ut ipse illi esset unigenitus filius." Tract. 49, 6.

— 21, 21. 23: "*sic* (ɔ: si, *ἐὰν*) eum volo manere." Ser. 254. n. 4.

Rom. 5, 12: ἐφ ᾡ: "in quo." Tract. in Ev. Joh. 49, 12.

Hæc autem, quæ facile evitari potuissent, documento sunt, Augustinum ad textum græcum parum attentum fuisse; imovero, ut quod sentio dicam, quod in interpretando a veritate grammatica rarius aberravit, non tam diligentiæ ejus deberi videtur, quam antiquis versionibus latinis, quibus syllabas magis quam sensum exprimere curæ cordique fuisse constat.

Sed ad codicem hebræum nos convertamus. Huic autem non minores quam Novo Testamento curas Nostrum impendisse, librorum ejus elenchus docet, qui non solum in Genesin et Pentateuchum commentarios sæpius diversaque sub forma repetitos exhibet, sed in libros poeticos etiam, Psalmorum et Jobi ingentem observationum molem congestam; accedit in libris Locutionum tentamen aliquod idiotismos linguæ hebrææ explanandi, hoc cavens ne ad vulgarem apud Græcos loquendi usum perperam referantur. Tanta vero ausum esse, qui et ipse recte judicaret, parum sine linguæ notitia interpretem valere (p. 138), et ingenue fateretur, quantum sibi hoc nomine deesset (p. 10, 30), mirum certe videri posset, nisi menti succurrerent, quæ de auctoritate versionis alexandrinæ et italæ, hac consensu ecclesiæ, illa inspiratione numinis sancitâ, non uno loco affirmavit atque credenda aliis proposuit (p. 71-73. 76. ss.). Sed in versionibus istis sæpius quam numerari possit toto coelo a veritate aberratum esse, sive quod auctores sermonis hebræi rudes imperitique fuerint, sive quod alias lectiones vel conjecturas suas secuti — ne dicam

versionem græcam mox sine dubio corruptionibus foedatam fuisse, quæ, crisi deficiente, in versiones latinas transiere — nemo est qui ignoret vel neget. Ab Augustino vero tanto gravius erratum esse, quanto longius suspicio erroris abfuerit, mirum non erit; quid! quod textum prorsus novum sæpe inductum habebis, verbis verborumque divisionibus mutatis, quandoque etiam verba sensu omnino destituta. Singula vero errorum monstra enumerare, longum foret et nimis longum; neque hujus loci est versionem Italam judicio critico subjicere; nonnulla tamen ex libris Augustini speciminis loco afferre necessarium est.

Gen. 4, 7: "nonne, si recte offeras (שְׂאֵת!), recte autem non dividas, peccasti? quiesce." (לַפֶּתַח : כ לִפְתֹּחַ. רֹבֵץ : כ רְבַץ). de civ. D. XV. 7, 2.

— 4, 26: הוּחַל (coeptum est): "speravit" (יִחֵל s. הוֹחִיל). de civ. D. XV. 18.

— 7, 4: אֶת־כָּל־הַיְקוּם (quicquid existit): "omnem suscitationem." (קִימָּה?) Locut. de Gen. n. 19.

— 10, 9: "Nimrod venator contra Deum" (לִפְנֵי). de civ. D. 16, 4.

Exod. 28, 15: חֹשֶׁן (thorax pontificalis): "rationale" (LXX *λογεῖον*). Quæst. in Ex. n. 116.

Ps. 7, 5: וָאֲחַלְּצָה צוֹרְרִי רֵיקָם (et despoliavi eum, qui hostis mihi sine causa erat): "decidam ab inimicis meis inanis." Enarr. in Ps. l. l.

— 7, 10. 11: אֱלֹהִים צַדִּיק ׃ מָגִנִּי עַל־אֱלֹהִים ׃ ".... Deus. Justum auxilium meum a Deo." ibid.

— 15 (16), 10: שַׁחַת (fovea, sepulchrum): "corruptionem." ibid.

Ps. 16 (17), 13. 14: מֵרָשָׁע חַרְבֶּךָ׃ מִמְתִים־יָדְךָ׃ ".... ab impiis. Frameam tuam ab inimicis manus tuæ." ibid.

— — 14: יְיָ מִמְתִים מֵחֶלֶד חֶלְקָם בַּחַיִּים (Jehova! (serva) ab hominibus hujus seculi, quorum thesaurus in vita est): "Domine perdens de terra, dispertire eos in vita eorum." (מָמִיתָם . חַלְּקָם). ibid.

— — —: יִשְׂבְּעוּ בָנִים (filii satiabuntur): "saturati sunt porcinâ" (ex. græco *ὑείων* ɔ: *ὑιῶν*). ibid.

— 19 (20), 9: כָּרְעוּ (incurvantur): "obligati sunt sc. temporalium rerum cupiditate." ibid.

— 37 (38), 8: כְּסָלַי מָלְאוּ נִקְלֶה (ilia mea æstu igneo plena sunt): "anima mea completa est illusionibus." (ex corrupta sine dubio in LXX lectione: *ἡ ψύχη* ɔ: *ψύαι*). ibid.

— 55 (56), 4: כִּי־רַבִּים לֹחֲמִים לִי.. אִירָא׃ "quoniam multi, qui debellant me, timebunt." ibid.

— — 5: בֵּאלֹהִים אֲהַלֵּל דְּבָרוֹ׃ "in Deo laudabo sermones meos." l. l.

— — 7: כַּאֲשֶׁר קִוּוּ נַפְשִׁי (quia insidiantur vitæ meæ): "sicut sustinuit anima mea." (קִוָּה). ibid.

— 57 (58), 9: נֵפֶל אֵשֶׁת (abortus mulieris): "supercecidit ignis" (נָפַל אֵשׁ). ibid.

— 58 (59), 11: אֱלֹהִים יַרְאֵנִי בְשֹׁרְרָי (Deus faciet me victorem inspicere hostes): D. meus demonstravit mihi in inimicis meis." ibid.

— — 13. 14: יְסַפֵּרוּ׃ כַּלֵּה׃ "annuntiabuntur consummationes." (nom. כָּלָה). ibid.

— 59 (60), 10: סִיר רַחְצִי (olla lotionis meæ): "olla spei meæ." (ex signif. chald.) ibid.

Ps. 63 (64), 7: וְקֶרֶב אִישׁ (intestinum viri): "accedet homo" (קָרַב). ibid.

— — 8: וַיֹּרֵם אֱלֹהִים (jaculabitur eos D.): "exaltabitur D." (וְיוּרַם). ibid.

— — — חֵץ פִּתְאֹם: "sagittæ infantium" (פְּתָאִים) ibid.

— 64 (65), 8: מַשְׁבִּיחַ (componens): "conturbas" (מַשְׁחִית?) ibid.

— — 14: לָבְשׁוּ כָרִים הַצֹּאן (pascua induta sunt ovibus): "induti sunt arietes ovium sc. exsultatione." ibid.

— 67 (68), 13: מַלְכֵי צְבָאוֹת יִדֹּדוּן (reges potentissimi fugiunt): "rex virtutum dilecti" (ex דוד). ibid.

— 68 (69), 21: חֶרְפָּה שָׁבְרָה לִבִּי (ignominia cor meum confregit): "opprobrium exspectavit cor meum." (r. שִׁחֵר). ibid.

— 72 (73), 7: עֵינֵמוֹ: "iniquitas eorum" (עֲוֹנָמוֹ). ibid.

— — 10: וּמֵי מָלֵא (aquarum copiæ): "dies (יְמֵי) pleni." ibid.

— — 21: יִתְחַמֵּץ (exasperatur): "delectatum est." אֶשְׁתּוֹנָן: "mutati sunt." (r. שָׁנָה).

— 73 (74), 4. 5: אֹתוֹת: יִוָּדַע: "... signa, et non cognoverunt." ibid.

— 75 (76), 3: בְשָׁלֵם (Hierosolymæ): "in pace" (בְשָׁלוֹם). ibid.

— — 7: וְרֶכֶב וָסוּס: "qui adscenderunt (וְרֹכְבֵי) equos." ibid.

— — 11: שְׁאֵרִית חֵמֹת תַּחְגֹּר (irâ residuâ te

accingis): "reliquiæ cogitationis (הֶגֶה?) solennia celebrabunt tibi" (r. חָגַג). ibid.

Ps. 82 (83), 2: אַל־דֳּמִי־לָךְ (ne silentium tibi sit): "quis similis erit tibi?" (דָם). ibid.

— 87 (88), 11: אִם־רְפָאִים יָקוּמוּ: "aut medici (r. רָפָא) exsuscitabunt?" (יָקִימוּ). ibid.

— 88 (89), 48: עַל־מַה־שָּׁוְא: "non enim vane." (אַל). ibid.

— 89 (90), 9: כִּלִּינוּ שָׁנֵינוּ כְמוֹ־הֶגֶה: "anni nostri ut aranea meditabantur." (!). ibid.

— 93 (94), 20: יֹצֵר עָמָל עֲלֵי־חֹק (qui vim machinatur contra legem): "qui fingis dolorem in præcepto." ibid.

— 95 (96), 6: הוֹד־וְהָדָר: "confessio (r. הוֹדָה) et pulchritudo." Cf. Ps. 103 (104), 1. 110 (111), 3.

— 100 (101), 3. 4: לֹא יִדְבַּק בִּי: לֵבָב עִקֵּשׁ: "non adhæsit mihi cor pravum." ibid.

— — 24: עִנָּה בַדֶּרֶךְ כֹּחִי (affligit (Deus) in cursu (vitæ) virtutem meam): "respondit in via fortitudinis suæ." (כֹּחוֹ. עָנָה). ibid.

— — 24, 25: קֹצֶר יָמַי: אֹמַר אֵלִי: "exiguitatem dierum meorum annuntia mihi." (אֱמֹר אֵלַי. קֹצֶר).

— 108 (109), 24: וּבְשָׂרִי כָּחַשׁ מִשָּׁמֶן (caro mea deficit, pinguedine consumta): "et caro mea immutata est propter oleum ɔ: gratiam spiritualem." ibid.

— 109 (110), 3: עַמְּךָ נְדָבֹת (populus tuus promtus): "tecum (עִמְּךָ) principium." ibid.

— — — מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל־יַלְדֻתֶךָ (rore matutino præstantior est ros juventutis tuæ): "ex utero ante luciferum genui te." (יְלִדְתִּיךָ). ibid.

Ps. 112 (113), 5. 6: הַמַּגְבִּיהִי לָשָׁבֶת׃ הַמַּשְׁפִּילִי לִרְאוֹת׃ "qui in altis habitat, et humilia respicit."

— 118 (119), 120: סָמַר מִפַּחְדְּךָ בְשָׂרִי (expavescit corpus meum timore tui): "confige clavis a timore tuo carnes meas." (סַמֵּר). ibid.

— 126 (127), 4: בְּנֵי הַנְּעוּרִים (filii juventutis): "filii excussorum ɔ: apostolorum" (ex Matth. 10, 14). (נָעַר, part. Paul.)

— 129 (130), 4: לְמַעַן תִּוָּרֵא׃ "propter legem tuam" (תּוֹרָה). ibid.

— 138 (139), 6: פְּלִיאָה דַעַת מִמֶּנִּי (scientia tua mirabilior, quam ut eam assequi possim): "mirabilis facta est scientia tua *ex me* h. e. propter peccata mea facta mihi est incomprehensibilis. ibid.

Prov. 31, 26: וְתוֹרַת־חֶסֶד עַל־לְשׁוֹנָהּ׃ "ordinem posuit linguæ suæ." (!). Serm. 37 n. 24.

— — 27: צוֹפִיָּה הֲלִיכוֹת בֵּיתָהּ (mulier opera domus suæ perlustrat): "severæ sunt conversationes domûs ejus." l. l. n. 25.

Job. 7, 7: יָמַי קַלּוּ מִנִּי־אָרֶג (dies mei texturâ leviores sunt): "vita mea exilior est quam loquela." ann. ad Job. l. l.

— 9, 22: תָּם וְרָשָׁע הוּא מְכַלֶּה׃ "magnum et potentem disperdit ira." ibid.

— — 29: לָמָּה־זֶּה הֶבֶל אִיגָע (cur ita frustra laborabo?): "quare non sum mortuus et laboro." ibid.

Accedunt denique inscriptiones, quæ in frontibus psalmorum prænotatæ sunt; exempla hæc sunt:

לַמְנַצֵּחַ׃ "in finem" (לָנֵצַח)׃ "quia finis legis est Christus." Enarr. in Ps. 13 (14), 1.

אֶל־הַנְּחִילוֹת (Ps. 5): "pro ea, quæ hæreditatem accepit." (נַחֲלָה).

עַל־מוּת לַבֵּן (Ps. 9): "pro occultis (r. עָלַם p. redupl. syll. עַל) filii, ɔ: de occulto adventu Christi."

עַל־אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר (Ps. 22): "pro susceptione matutina, ɔ: de resurrectione Christi mane facta."

לְהַזְכִּיר (Ps. 38): "in recordationem sabbati ɔ: quietis."

עַל־שֹׁשַׁנִּים שִׁיר יְדִידֹת (Ps. 45): "pro his quæ commutabuntur (r. שָׁנָה præced. שֶׁ) canticum pro dilecto ɔ: Jesu."

עַל־יוֹנַת אֵלֶם רְחֹקִים (Ps. 56): "pro populo, qui a sanctis longe factus est" (!).

Quis talia legendo non clamaverit: ohe, jam satis est! Equidem vero, ne culpæ aliquid mihi cum Augustino commune fiat, manum de tabula movendam esse video.

XX.

Versiones male et perperam intellectæ.

In illis autem, quæ proposita sunt, excusationis aliquid Noster habebit ex versionibus istis summæ auctoritatis, quibus diffidere vel a quibus recedere nefas esse ducebat; quid vero de iis dicendum est, in quibus non cum auctoritate tanta, sed contra eam erravit. Constat namque, versiones alexandrinam et latinas antiquas ita sæpe confectas esse, ut in iis etiam, quæ recte sensum indicant, verba duriter, obscure, ambigue posita sint, ut, ad textum hebræum ant græcum nisi refugeris, de mente eorum dubius et incertus hæreas. Augustinus vero, cui volumina

hebræa occlusa erant, græca aperire neque commodum neque adeo necessarium videbatur, ingenii subtilitate cuncta efficere voluit; in quo quidem studio ita sæpe deceptus est, ut, verborum explicationem vel constructionem minus assecutus, versionum veritatem in pravum detorqueret. Ex multis exemplis nonnulla afferam.

Gen. 1, 1: "in principio Deus fecit: "intelligimus *Filium in principii nomine*, qui universæ creaturæ principium est."" de Gen. ad litt. I. 12.

Job. 3, 8: "maledicat illam maledicens diei (h. e. hariolus): "*Dominus*, qui maledicit amantes carnalia."" (Annotat. in lib. Job. l. l.)

— 7, 11: "non parcam ori meo (sc. lamentando): "*confitendo*, quum tempus est."" ibid.

Psalm. 5, 11: "decidant a cogitationibus suis (ɔ: spe sua fallantur): "jam *non cogitent mala.*"" Enarr. in Ps. l. l.

— 6, 5: "Convertere, Domine! (ɔ: iterum nobis propitius adsis): "adjuva nos, ut *perficiatur in nobis conversio.*"" ibid.

— 13 (14), 1: "non est qui faciat bonitatem, usque ad unum: "*præter unum, ut excipiatur Dominus Chr.*"" ibid.

— 17 (18), 41: "inimicos meos dedisti mihi dorsum (ɔ: terga fugientium mihi advertisti): "inimicos meos convertisti, *ut sequerentur me.*"" ibid.

— 31 (32), 3: "tacui, inveteraverunt (elanguerunt) ossa mea a clamando (ɔ: precibus fatigatus, tandem conticui): "tacuit confessionem, clamavit præsumtionem, *tacuit peccata sua, clamavit merita sua.*"" ibid.

Ps, 32 (33), 4: "omnia opera ejus in fide" (ɔ: fidem Deus in omnibus solvit et præstat): "in ipsa fide sunt omnia *opera, quæ diligit Deus.*"" ibid.

— 34 (35), 13: "oratio mea in sinum meum convertetur (ɔ: non exaudita erit): "quia in sinu suo (Christus) habebat Patrem, est: *humanitas* in me ipso *interpellat divinitatem.*"" ibid.

— 36 (37), 26. 28: "Semen ejus (pii) in benedictione erit, semen impiorum peribit: "Semen ejus, *reliquiæ ejus*, unde hîc seminat et postea metet — semen impiorum, *opera impiorum.*"" ibid.

— 48 (49), 20: "introibit usque in progenies patrum suorum (sc. morte, cf. Gen. 15, 15): "*imitabitur* patres suos."" ibid.

— 54 (55), 22: "molliti sunt sermones ejus (hominis perfidi) super oleum, et ipsi sunt jacula: "si durus sermo et nondum intellectus est, tibi *pietate molliatur*, et fiet tibi oleum; — illis sermonibus tanquam sagittis corda hominum *ad amorem pacis feriuntur.*"" ibid.

— 59 (60), 8: "Deus locutus est in Sancto suo (ɔ: sanctuario): "in quo Sancto suo? Deus erat *in Christo.*"" ibid.

— 65 (66), 3: in (ɔ: propter) multitudine potentiæ tuæ mentientur tibi (ɔ: adulatores erunt) inimici tui: "ad hoc tibi (Christo) mentientur (ɔ: false accusabunt) inimici tui, ut multa sit (appareat) potentia tua"" (sc. per resurrectionem, quæ mortem excipiet). ibid.

— 67 (68), 24: "Lingua canum tuorum (ɔ: hominum tibi infestorum): "eos ipsos, qui usque ad

sanguinem fuerant *pro fide evangelica certaturi*, etiam canes vocans, tanquam *pro suo domino latrantes*."" ibid.

— 68 (69), 24: "dorsum illorum semper incurva: "qui futuræ vitæ spem non intelligunt, *de inferioribus cogitant*, et hoc est habere dorsum curvum."" ibid.

— 77 (78), 39: "recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens et non revertens (ɔ: indulget homini fragili et mortali): "eos *vocando per gratiam suam revocavit*, quia per se ipsos redire non possent."" ibid.

— 84 (85), 12: "justitia de coelo prospexit: "a Deo data est *justificatio* confitenti."" ibid.

— 86 (87), 4: "memor ero Rahab (ɔ: Ægypti): "illa in Jericho meretrix, quæ suscepit nuntios."" ibid.

— 89 (90), 3: "ne (ex lect. אַל) avertas hominem in humilitatem (עַד־דַּכָּא ɔ: in pulverem): "ne [illegible]*uis æternis atque sublimibus homo aversus* temporalia concupiscat."" ibid.

— — 17: "opera manuum nostrarum dirige super nos (ɔ: prospera nobis facias): "*non ea pro mercede* rerum terrenarum *faciamus*; tunc enim non directa sed curva sunt."" ibid.

— 111 (112), 5: disponet sermones suos in judicio (ɔ: justitiæ convenienter): "facta ipsa sermones sunt, quibus *in judicio defendetur*."" ibid.

— — 7: "ab auditu malo (ɔ: calumniis, verbis male ominatis) non timebit: "*judicium damnatorium*, quod dici audiet iis, qui in sinistris erunt."" ibid.

Ps. 118 (119), 41: "respondebo exprobrantibus mihi verbum: "utrum: verbum exprobrantibus, an; verbum respondebo, ambiguum est; sed quodlibet eorum *Christum* (λόγον) sonat."" ibid.

— — 65: Suavitatem fecisti cum (ɔ: exhibuisti) servo tuo: "fecisti, *ut me delectaret bonum.*"" ibid.

— 143 (144), 9: "canticum novum cantabo tibi: "canticum novum hominis novi, *Testamenti novi* est."" ibid.

Joh. 1, 16: "gratiam pro gratia: "quia ipsa fides gratia est, *vita æterna* est gratia pro gratia."" Tract. in Ev. Joh. 3 n. 9.

— 8, 23: "ego de supernis sum (ἐκ τῶν ἄνω): "de quibus supernis Christus? *ab ipso Deo.*"" tr. 38, 4.

— 13, 31: "nunc clarificatus est (ἐδοξάσθη) filius hominis: "*separato inde nequissimo* (Juda) et secum remanentibus sanctis, significata est glorificatio ejus, quando separatis iniquis manebit in æternitate cum Sanctis."" tr. 63, 2.

Rom. 14, 5: "alius quidem judicat alternos dies (κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν ɔ: diem die sanctiorem, faustiorem existimat), alius autem judicat omnem diem (sc. æqualem): "qui alternos dies judicat, *homo* est; potest enim *hodie aliud, cras aliud* judicare; qui autem judicat omnem diem, *Deus* est, quia non solum, qualis quisque sit, sed etiam *qualis omni die futurus sit*, novit." Proposit. ex Ep. ad Rom. exposit. n. 80.

Gal. 1, 15: "Deus segregavit (ἀφορίσας ɔ: destinavit apostolum) me de ventre matris meæ: "segre-

gatur quodammodo de ventre matris, quisquis *a carnalium parentum consuetudine coeca separatur.*"" Exposit. Ep. ad Gal. n. 8.

Gal. 2, 6: "quales aliquando fuerint (ὁποῖοι ɔ: quales quantique), nihil mea interest: "quia *et ipsi fuerunt peccatores*, nihil sua dicit interesse."" ibid. n. 12.

— 3, 1: ante quorum oculos J. Chr. proscriptus est (προεγράφη ɔ: depictus): "Jesus hæreditatem suam *possessionemque amisit*, his utique auferentibus eam, i. e. eos, in quibus jure gratiæ fideique inhabitabat."" ibid. n. 18. —

* * *

Sed de his satis jam actum esse videtur. Fac enim — sic aliquis fortasse neque temere omnino dixerit — ita Augustinum ἀγράμματον fuisse, ut in tricis nodisque verborum expediendis parum vel nihil utilitatis ex libris ejus repeti possit; atvero neque illa linguarum cognitio sola facit interpretem, neque, quod hæc deest, ideo mox omni successu interpretatio careat necesse est; quoniam in multis S. Scripturæ locis, iisque gravioris momenti plurimis, non tam verborum singulorum radices eruditione linguistica expediendo quam integrum orationis nexum oculo liberiore intuendo cumque locis similibus conferendo sensus effici debet. Quare, quum versionis bonæ atque fidelis præsidium interdum sufficiat, inprimis ad mentem auctoris assequendam ea requiritur sensus interni dexteritas, judicii subtilitas ingeniique agilitas, quæ beneficio naturæ magis quam assiduitati studiorum deberi solet; quid! quod in ver-

bis et litteris nonnunquam ita errari potest, ut ab ipsa veritate sensûs non multum recedatur.

Nos igitur, quid in exegetico hocce philosophiæ usu Augustinus præstiterit, breviter videamus.

Sed — ut ante hoc moneamus — quoties in sensu religioso ex sacris litteris eruendo peccatum fuerit, causa vel ex *licentia* aliqua repetenda esse videtur, quæ, accurata et solida verborum explicatione neglecta, arbitrii commenta quæcunque arripuit, vel ex *nimia subtilitate,* quæ singulis in vocibus ita hæsit, ut indolem nexumque orationis consulere, locos similes et affines in opem vocare dedignata sit. In utramque partem cum intra muros ecclesiæ erratum est, tum foris, a sectis hæreticis, quæ pacem ecclesiæ turbabant quidem, sed stylos doctorum ejus cotis instar acuebant. Ita — ut in primis ecclesiæ seculis subsistamus — Gnostici et Manichæi *nullos* fere in interpretando fines, Ariani vero, Donatistæ, Pelagiani *nimis arctos et angustos* sibi proposuerunt, ut illi in excessu, hi vero in defectu errarent. Augustinus autem, qui in omnibus illis debellandis assiduus et sollicitus erat, quomodo non utramque erroris viam et cognosceret et cognitam monstraret, monstratam vero corrigere tentaret, et in melius sæpe corrigeret! At enimvero opposita feliciter semper evitare, raro naturæ humanæ datum est; neque igitur mirandum est vel inique nimis ferendum, si Augustinum, dum unum adversariorum errorem castigavit, in alterum ei ex adverso oppositum, quem in aliis satis bene accurateque notabat, subinde incidisse videmus.

XXI.

Accurata singularum sententiarum biblicarum exploratio.

Ut veritas religionis ex involucro verborum spinoso vel mythico et figurato pura et genuina prodeat, necessaria inprimis *severitas* interpretationis est, qua singuli librorum loci ita examinentur ponderenturque, ut cardo rei ipsumque sententiæ momentum ab ornatu verborum opera data distinguatur, temerario vero interpretandi arbitrio via præcludatur. In hoc labore autem minor linguarum peritia minus profecto nocet, quam major ingenii sagacitas, acumen judicii magis prodest; quare meliora hîc ab Augustino sperare licet, et recte sperari docebit locorum series, in quibus difficultatis nonnihil aut ex verborum imaginibus aut ex brevitate sermonis, gnomico præsertim et proverbiali dicendi genere oritur.

Gen. 11, 5: "Deus *descendere* dicitur, quum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum, præsentiam quodammodo ejus ostendat." de civ. D. XVI. 5.

— 22, 1: "*tentatione* Deum non id agere, ut ipse aliquid cognoscat, quod ante nesciebat, sed ut, ipso tentante i. e. interrogante quod est in homine, occultum prodatur; non enim sibi homo ita notus est ut creatori, neque sibi æger ita notus est ut medico." Ser. II. 3.

1 *Reg.* 17, 9: "*mandat* Deus non in aure, sed in corde — suggerendo quod opus erat, persuadendo quod utile erat." Ser. XI. 2.

Ps. 109 (110), 4: "*Poenitentiâ* mutatio rerum significatur; quomodo enim tu, quum aliquid te poenitet, doles factum quod fecisti, sic, quando aliquid Deus præter spem hominum in aliud commutat, poenitere se dicit, usque adeo ut et de poena nostra poeniteat eum, si nos de vita nostra mala poenituerit." Enarr. ad Ps. l. l. De div. quæst. I. 11, 4.

— 118 (119), 135: *vultum* tuum manifesta: "tuam manifesta subveniendo et opitulando præsentiam." Enarr. ad Ps. l. l.

Matth. 5, 8: *τὸν Θεὸν ὄψονται*: "ita Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut *videatur spiritu* a singulis nobis." de civ. D. XXII 29, 6.

— 6, 25: *μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν*: inter negotia humana regnum Dei semper respiciendum esse, in militia regni Dei nulla humana cogitanda. de ser. Dom. in monte II. 58.

— 7, 6 ... *τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ .. τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων*: Sanctum et margaritas synonyma esse, sic tamen, ut Evangelium sanctum dicatur ex eo, quod non debet corrumpi, margarita ex eo, quod non debet contemni; similiter canes sunt oppugnatores veritatis, porci contemtores. l. l. II. 68.

— 7, 7, 8: *αἰτεῖτε. ζητεῖτε. κρούετε*: Petitionem pertinere ad impetrandam sanitatem animi, inquisitionem ad inveniendam veritatem, pulsationem ad possessionem salutis. l. l. II. 71.

— 7, 12: *πάντα ὅσα ἂν θέλητε ... οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε*: non supplendum esse, ut in exemplaribus quibusdam, "bona;" sententiam per se plenam esse, quum *voluntas* sensu proprio nonnisi

de bonis actionibus dicatur, *cupiditas* autem de malis." l. l. II. 74.

Matth. 11, 2 ss.: de Johanne Bapt. discipulos ad Jesum mittente: "oportebat ut talis perhiberet testimonium Christo, qui et ipse discipulos colligebat, qui ei poterat invidere, si non posset videre; — *moriturus, ab illo eos voluit confirmari.*" Ser. 66, 4.

— 18, 17: ἔςω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς: "Noli illum deputare jam in numero fratrum tuorum; neque ideo tamen salus ejus negligenda est; nam et ipsos Ethnicos in numero quidem fratrum non deputamus, sed tamen eorum salutem semper inquirimus." Ser. 82 n. 7.

— 24, 30: ὄψονται τὸν υἱὸν τ. ανθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν: "*de adventu suo per ecclesiam*, in qua usque ad finem venire non cessat; in suis enim veniens *agnoscitur, dum ejus quotidie membra nascuntur.*" [2]) Ep. 199, 25.

Luc. 9, 60: ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκροὺς "involvunt et plangunt et portant et mortui sunt, quia infideles sunt." Ser. 100, 2.

— 16, 9: τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας: "pecunia, quia *divitiœ non existimatur nisi ab iniquis*, qui in eis spem constituunt et copiam felicitatis." Quæst. Ev. II. 34. Ser. 113, 4.

---

[2]) "Fortasse omnia, quæ a tribus evangelistis dicta sunt de ejus adventu, diligentius inter se collata atque discussa, inveniantur ad hoc pertinere, quod *quotidie venit in corpore suo, quod est ecclesia*; exceptis his locis, ubi ab eo ille adventus ultimus in seipso, quando est vivos et mortuos judicaturus, ita promittitur, ut appropinquare dicatur." Ep. 199 n. 45.

Joh. 1, 15: *ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθεν μου γέγονεν*: "qui post me venit, ante me factus est; h. e. antepositus mihi est." Tract. in Ev. Joh. 3, 8.

— 5, 24 ss.: *duas resurrectiones* intelligendas esse, quarum *una præsens* hominum viventium in mente per regenerationem (propter verba *ὥρα νῦν ἐστιν*), *altera futura* hominum mortuorum in carne, per resuscitationem (propter verba *οἱ ἐν τοῖς μνημείοις*). l. l. 19, 8-18.

— 7, 27: *ὁ χριστὸς οὐδεὶς γινώσκει πόθεν ἐστιν*: "secundum hominem prædixerant scripturæ, unde esset (ex Matth. 2, 5), secundum Deum, latebat impios." l. l. 30, 2.

— 8, 15: *ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα*: *vel*: non veni ut judex (non quod judicium suum denegat, sed differt in tempus aliud), *vel* subintell. ex prioribus: secundum carnem. l. l. 36, 4.

— 8, 34: *πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας*: "non dicat Christianus: servus eram, redemtus sum, ut faciam quod volo; *erit voluntas tua libera, si fuerit pia*; prima libertas est carere criminibus." l. l. 41, 8.

— 8, 41: *ἡμεῖς ἐκ πορνείας οὐ γεγεννήμεθα*: "non diis multis et falsis anima nostra tanquam prostituta subjecta est." l. l. 42, 7.

— 12, 24: *ὁ κόκκος τοῦ σίτου ἐὰν ἀποθάνῃ, πολὺν καρπὸν φέρει*: "Ipse erat granum frumenti, mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum." l. l. 51, 9.

— 12, 31: *νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω*: "post passionem et glorificationem

suam per universum mundum populos multos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat; cui quando ex fide renuntiant, ejicitur for..." l. l. 52, 7. 10.

Joh. 12, 39: *οὐκ ἠδύναντο πιςεύειν*: "quare non poterant, si a me quæratur, cito respondeo, *quia nolebant*; malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, — non quia mutari in melius homines non possunt, sed *quamdiu talia sapiunt, non possunt credere*." l. l. 53, 6. 10.

— 13, 10: *ὁ λελουμένος οὐ χρείαν ἔχει ἢ τοὺς πόδας νίψασθαι*: "humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ex quibus rebus humanis afficimur; sic etiam qui juste vivunt, opus habent pedes lavare, quoniam sine peccato utique non sunt." l. l. 56, 4. 5.

— 13, 34: *ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν*: "mandatum novum dedit nobis Chr., ut diligamus invicem, *sicut et ipse dilexit*; dilectio ista nos innovat, ut simus homines novi." l. l. 65, 1.

— 14, 12: *ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ μείζονα τούτων ἔργα ποιήσει*: "*Opera dicebat verba* quæ loquebatur; audiebant et credebant illi (discipuli); verumtamen evangelizantibus discipulis, *gentes* etiam crediderunt: hæc sunt sine dubitatione majora." l. l. 71, 3.

— 14, 13: *ὅ, τι ἂν αἰτήσητε ἐν τῷ ὀνόματι μου, τοῦτο ποιήσω*: "Quodcunque petimus adversus utilitatem *salutis*, non petimus in nomine *Salvatoris*; quapropter, quando volumus ut faciat quodcunque petimus, non contra nostram salutem petamus." l. l. 73, 3.

Joh. 16, 7: *ἐὰν μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς*: "Discipuli circa formam humanam Jesu fuerant occupati, et tanquam homines in homine humano tenebantur affectu; quare dixit: nisi adspectibus carnalibus vestris humana forma subtrahatur, divinum aliquid capere, sentire, cogitare minime poteritis." Ser. 270, 2.

— 16, 8: *ὁ παράκλητος ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας, περὶ δικαιοσύνης, περὶ κρίσεως*: "credant homines in Chr., ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccata omnia detinentur, ne arguantur de justitia eorum, quos justificatos non imitantur, caveant futurum judicium, ne cum mundi principe judicentur, quem judicatum imitantur." Tract. 95, 4. Ser. 144, 6.

— 16, 16: *πάλιν μικρὸν, καὶ ὄψεσθέ με*: "non discipulis unice dictum de resurrectione, sed universæ ecclesiæ promissum *de præsentia invisibili* post abitum ad patrem." Tract. 101, 6.

— 19, 5: *ἴδε ὁ ἄνθρωπος*: "si regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis; *fervet ignominia, frigescat invidia.*" l. l. 116, 2.

— 21, 18: *ἄλλος σε ζώσει, καὶ οἴσει ὅπου οὐ θέλεις*: "Amari mors non potest, tolerari potest; — naturâ non tantum homines, sed et omnes omnino animantes recusant mortem et formidant; ideo magni martyres, quia quod valde durum est fortiter susceperunt." Ser. 300 n. 8.

Rom. 5, 13: *ἄχρις νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ*: "non putemus, ita dictum esse, quasi jam sub lege non esset peccatum; sed *sic dictum est, ut to-*

tum legis tempus adnumeres usque ad finem legis, quod est Christus." Expos. proposit. ex Ep. ad Rom. n. 27. Op. imperf. c. Jul. II. 84. de pecc. mer. et rem. I. 12.

Rom. 7, 15: *οὐκ ὃ θέλω τοῦτο πράσσω, ἀλλ' ὃ μισῶ τοῦτο ποιῶ*: describi hominem non sub lege positum (quæ prior fuerat Aug. sententia), sed positum sub gratia, *etiam de ipso apostolo posse intelligi.*[3]) Retr. I. 23, 24.

— 9, 17: *ἐξήγειρά σε (τὸν Φαραώ)*: "Non quisquam potest dicere, obdurationem illam cordis immerito accidisse Pharaoni, sed judicio Dei retribuentis incredulitalis ejus debitam poenam; non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia *dignum se præbuit, cui cor obduraretur* priore infidelitate." Expos. Ep. ad Rom. n. 62.

— 13, 1: *πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω*: "Quum constemus ex anima et corpore, et quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendæ hujus vitæ utamur, oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus; ex illa vero parte, qua credimus Deo et in regnum ejus vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini." l. l. n. 72.

---

[3]) "*Ago* bonum, quum malæ concupiscentiæ non consentio, sed non *perficio* bonum, ut omnino non concupiscam; rursus et hostis mea (concupiscentia) *agit* malum, quia movet desiderium malum, non *perficit* malum, quia me non trahit ad malum. Et in isto bello est tota vita Sanctorum." Retr. l. l. Contra duas epp. Pelag. I. 18-24. Ser. 151 n. 7.

1 Cor. 10, 33: ἐγὼ πάντα πᾶσιν ἀρέσκω: cf. Gal. 1, 10: εἰ ἀνθρώποις ἤρεσκον, χριστοῦ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην: hominibus se non placere, quia in eo ipso quæsivit, ut Deo placeret; esse vero hominibus placendum, ut facilius adducerentur ad bonum imitandum. de ser. Dom. in monte III. 3.

Gal. 3, 13: Χριστὸς γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα: "Ex parte mortali pependit in ligno; jam si diceretur: *mors maledicta est*, nemo exhorresceret; quid autem nisi mors Domini pependit in ligno, ut mortem moriendo superaret." Expos. ep. ad Gal. l. l.

— 4, 9: γνωσθέντες ὑπὸ Θεοῦ: "translate dictum est (pro: dilecti); sic enim de iis, qui diliguntur, solemus dicere, quod ante oculos habeantur." l. l.

— 5, 17: .. ἵνα μή, ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε: "Putant hîc homines liberum voluntatis arbitrium negare apostolum nos habere, neque intelligunt, hoc iis dictum, si gratiam fidei susceptam tenere nolunt, per quam solam possunt spiritu ambulare." l. l.

Phil. 2, 6: οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ: "quomodo enim rapina posset esse natura, quæ non erat usurpata sed nata? *non alienum arbitratus est esse, quod natus est.*" Tract. in ev. Joh. 78, 1. contr. Maximin. 1, 5.

Col. 2, 21: μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς: "*per irrisionem* verba posuit eorum, a quibus eos nolebat decipi atque seduci, qui dicunt: ne tetigeritis[4])" ... Ep. 149 n. 23.

---

[4]) Cfr. quæ explicationis gratia optime addita sunt: "Utinam præsens de me ista quæsiisses! in eo quippe sensu,

Jac. 2, 10: *ὅςις .. πταίσει ἐν ἑνὶ, γέγονε πάντων ἔνοχος*: "Nemo peccat, nisi adversus caritatem faciendo; ac per hoc, qui totam legem servaverit *si in uno offenderit, sit omnium reus, quia contra caritatem facit, unde tota lex pendet.*" Ep. 167 n. 16.

— 5, 11: *τὴν ὑπομονὴν Ἰὼβ ἠκούσατε, καὶ τὸ τέλος Κυρίου εἴδετε*: "Mala temporalia sicut Job sustinete, sed pro hac sustinentia non temporalia bona sperate, quæ illi aucta redierunt, sed æterna potius, quæ in Domino præcesserunt." Ep. 140 n. 26.

1 *Joh.* 2, 15: *ἐάν τις ἀγαπᾷ τὸν κόσμον, οὐκ ἔςιν ἡ ἀγάπη τοῦ πατρὸς ἐν αὐτῷ*: "Non te prohibet Deus amare ista, sed *non diligere ad beatitudinem*; quemadmodum, si sponsus faceret sponsæ suæ annulum, et illa acceptum annulum plus diligeret quam sponsum, nonne adultera animo deprehenderetur?" Tract. in Ep. Joh. 2, 11.

— 2, 27: *τὸ χρίσμα ἐν ὑμῖν μένει, καὶ οὐ χρείαν ἔχετε, ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς*: "Sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est; *quos Sp. S. intus non docet, indocti redeunt*; magisteria forinsecus adjutoria quædam sunt et admonitiones; cathedram in coelo habet qui corda docet." l. l. 3, 13.

— 3, 24: *ἐν τούτῳ γινώσκομεν, ὅτι μένει ἐν ἡμῖν, ἐκ τοῦ πνεύματος, οὗ ἡμῖν ἔδωκεν*: "Si per miracula non fiat modo testimonium præsentiæ Sp.

---

quum mihi in his verbis habere videor, *adhibenda est quædam pronuntiatio in vultu et modo vocis, qui exprimi litteris non potest.* Quod enim scriptum est: ne tetigeritis... tanquam præceptum putatur apostoli, nescio quid tangere prohibentis; — contra est autem, si tamen in tanta obscuritate ista non fallor." l. l.

S., unde cognoscit quisque, accepisse se S. S.? interroget cor suum; si diligit fratrem suum, manet Sp. Dei in illo." l. l. 6, 10.

XXII.

Adversariorum in interpretando licentia studio accurato cohibita.

Ista omnia, si quid video, interpretationis egregiæ exempla et specimina sunt; ita namque verba enucleata sunt, ut sensus non vagus aliquis aut claudicans, sed plenus et integer, sponte ultroque prodeat, neque is ambagibus orationis sed probo verborum pondere accurate et commode expressus. Hæc autem in verbis expediendis discutiendisque solertia quam salutaris quamque necessaria sit, ut alieni nihil verbis inferatur, neque autem quod intus est neglectum jaceat, cum per se patet, tum vero optime docent quæ disputata ab Augustino contra Manichæos et alios sunt; illi enim quantum a puritate fidei christianæ remoti erant, tantum sibi licitum putabant in sacris libris interpretandis, ut speciem orthodoxiæ qualemcunque inde repeterent. Atvero, quanta fuit in iis licentia et ingenii petulantia, tanta in Nostro gravitas judiciique sobrietas; imo, quum videret, temeritatem istam sine justa in verbis explicandis severitate coerceri non posse, huc inprimis animum studiumque convertit; ut dici non immerito possit, quod in interpretatione Augustini laudibus et imitatione dignissimum sit, perversæ Manichæorum rationi magna ex parte tribuendum esse.

Exemplis hoc melius constabit.

Manichæi, ut commentum defenderent de duplici rerum natura ex principiis duobus repetenda, de materia, et quicquid ejus esset, non ex Deo originem habente, provocarunt tum ad ea, quæ Paulus de spiritus cum carne pugna perpetua docet (Rom. 8, 7. 8. Gal. 5, 17 al.), deque certamine, quod cum geniis malis subeundum hominibus sit (Eph. 6, 12 al.), tum ad verba Jesu de arbore bona et mala, hac autem a Deo non plantata (Matth. 7, 17. 15, 13). Recte vero Augustinus objicit, verbis, si accuratius inspiciantur, nihil inesse nisi de abusu arbitrii liberi, sive in hominibus, qui vitam inter luctandum degant, sive in angelis lapsis, quibus poena hæc dictata sit, ut inferioribus nocere velint (Ser. 152, 4. 156, 11. contr. Secundin. n. 10); quid! quod verbis disertis declarasse Jesum (Matth. 12, 33), esse in hominum potestate, aut bonam facere arborem aut malam (contr. Fortunat. II. 22. de act. c. Felice II. 2. 4). Vanum vero delirium esse, quod de Hyle s. dæmone corporum conditore fingant, nihilque existere, quod ad Deum auctorem referendum non sit, ex multis Scripturæ locis (Joh. 1, 3. 1 Cor. 12, 24 al.) constare docet (Tract. in Ev. Joh. 1, 14. contr. Faust. XXI. 10. de nat. boni adv. Man. n. 30.).

Iidem, quod impie argutati sunt de lege mosaica opere Demiurgi, de Vetere Testamento Deum falsum et fictitium profitente neque non multa perperam et superstitiose fabulante, efficere conati sunt ex iis, quæ in Epp. ad Romanos atque ad Galatas occurrunt de hominibus ansam quodammodo et occasionem peccandi *ex lege* nactis, et ex aliis, quæ con-

tra fabulas et genealogias Judæorum monentur in Epp. ad Timotheum; hoc nomine enim libros V. T. notatos esse, fronte perfricta contenderunt, neque minus impudenter illos, qui reprobandi a Jesu olim ut falsi prophetæ dicuntur (Matth. 7, 22), prophetas Veteris Testamenti intellexerunt. Augustinus vero, verbis accuratius insistens, monstravit, Paulum non legem, quam egregiam et sanctam declaravit, sed culpam hominum præsidiis optimis quibusque abutentium perstringere (Ser. 26, 10. 153, 2); fabulas vero intelligendas esse traditiones Judæorum, quæ ore tradebantur, falsos denique prophetas eos, qui post tempora Christi auctoritatem ejus perperam jactabant, quid docerent nescientes ipsi (contr. advers. Leg. et Proph. II. 2. 15).

Christum non verum hominem fuisse, neque via humana natum neque humano corpore instructum, persuadere voluerunt aliis ex quæstione Jesu Matth. 12, 48 quænam sibi mater sit — et ex verbis discipulorum eum phantasma et spiritum esse (Matth. 14, 26. Luc. 24, 37); unde collegerunt, Jesum affectus omnes humanos et denique mortem simulasse; quid! quod eousque nonnulli prodierunt, utentes inprimis iis, quæ in Evangelio Johannis de luce mundi occurrunt, ut nomen Christi mythice intelligendum esse contenderent, de sole oriente et occidente (Tract. in Ev. Joh. 34, 1). Tantam vero nugarum scurrilitatem Augustinus risu et ludibrio excepit, scilicet negari jure eodem posse, discipulos habuisse patres, quum Jesus (Matth. 23, 9) eos quemquam in terra patrem vocare vetet (c. Faust. VII. 2); deinde mi-

ratur, quomodo de natura Christi constitui aliquid possit ex opinione quadam apostolorum metu titubantium, quam Jesus ipse in melius correxit, dum corpus suum manibus eorum contrectandum obtulit (Ser. 75, 8. 237, 1. 3); denique historiam evangelicam totam contra clamare monet, quæ ita composita sit, ut ratione historicâ omnia explicari debeant (c. Faust. 26, 8).

Postremo vero Manichæi, ne tantam in interpretando docendoque temeritatem indigne quis ferret, hanc potestatem quasi legitime traditam et commissam sibi vindicarunt: Jesum quippe, quum paucos indicaverit electos (Matth. 20, 16), hos ipsos indicasse, qui inter Manichæos supremum justitiæ gradum tenerent; tum vero quod de Spiritu Sancto prædictum fuerit, homines ad plenam veritatem deducturo, dictum ita esse de ipsis, ut addendi, tollendi, immutandi jus et officium haberent. Augustinus autem nihil omnino ex iis, quæ dicta contendebant, dictum esse docuit; sanctorum quippe et electorum nomen ad pios omnes Christianos pertinere, promitti autem hominibus pleniorem doctrinæ cognitionem, non pleniorem doctrinam (Enarr. in Ps. 140, 10. Tract. in Ev. Joh. 97, 4. 5. 7).

Ita morbus et medicum facit et medelas docet.

His vero missis, libros adeamus, qui contra *Pelagium et Pelagianos* scripti sunt; neque pauca habebimus in iis ejusdem in interpretando severitatis salutaris exempla. Magnam quidem et justam Pelagii laudem fuisse in arte exegetica tractanda, satis nota res est; sed observandum tamen est, magis

eam studiis philologicis sobrioque in usibus practicis efferendis judicio deberi, quam accuratæ in regulis hermeneuticis sistendis adhibendisque diligentiæ. Quid! quod, quum natura ita comparatus esset, ut omnia ad usus populares nimis cupide revocaret, orta est aliqua in explicandis libris sacris inconstantia vaga et fluctuans, quæ non tam plenam et integram ex verbis veritatem efficere conabatur, quam usibus vitæ sensum utiliter — ut ipsi visum est — attemperare. Hæc vero interpretationis levitas et inconstantia ingenium Augustini graviter offendebat, ut verba justa ratione colligere iisque accuratius insistere iterum iterumque juberet.

Docebant Pelagiani, Adamum sic creatum esse, ut etiam sine peccato moriturus fuisset, non poena culpæ, sed necessitate naturæ; ipse quidem Pelagius in concilio Diospolitano a. 415 hanc sententiam damnavit, sed — si Augustino fides habenda est — ficto corde, quum verba Geneseos non ad mortem corporis, sed *ad mortem animæ* referre conaretur. [5]) Tanto vero interpretationis arbitrio viâ exegeticâ occurrere, negotium facile erat; ita namque loci Gen. 2, 17. 3, 19. Rom. 5, 12. 8, 10 al., contra clamabant, ut verba eorum opponere satis Augustino esset (l. l. c. c.); adjecta hypothesi hac ingeniosa: Adamum, si non peccasset, in corpus spirituale mutandum fuisse, non exspoliandum corpore, sed supervestiendum immortalitate. [6])

---

[5]) de pecc. mer. et remiss. I. 2-4. 11,

[6]) Cf. Concil. Carthag. 418 can. 1.

Pelagiani deinde, ut sententiam Augustini duram et iniquam de peccato originali evitarent — neglecta vero distinctione peccati et concupiscentiæ — negarunt, peccatum propagatione in alios homines ex primo homine transiisse; quæ contra videbatur Paulus disputasse (Rom. 5, 12. 19), de *sola imitatione* explicantes. [7]) Hîc vero Augustinus recte objicit, verbis Apostoli (Rom. 5, 12) non solum peccati initium, sed principium quoque peccandi indicari, quod ad solum imitationis studium referri non possit; imo, quum Christus salutis auctor ponatur (5, 17-19), non tantum quod exemplum imitandum hominibus præbuerit, verum etiam ob internam spiritus sui gratiam fidelibus concessam, Apostolum peccati principium a primo homine repetere, non solum quod peccandi exemplo omnibus præierit, sed ob fragilitatem istam et immodicam cupiditatum vim ("tabem carnalis concupiscentiæ"), quæ generatione ita propagetur, ut naturæ omnium et singulorum adhæreat. [8])

Tum Pelagiani, ut occurrerent sententiæ asperæ et monstrosæ de natura humana penitus corrupta, contenderunt idque ex testimoniis S. Scripturæ, homines hac in vita perfectos esse posse, tum quia perfecti esse jubentur (Matth. 5, 48. 1 Pet. 1, 15), tum vero quia non pauci laude virtutis integræ et

---

[8]) Aug. de pecc. mer. et rem. I. 9. 10. de nat. et grat. 9. de nupt. et concupisc. II. 44.

[9]) De nupt. et concup. II. 44. Op. imperf. c. Jul. II. 52. de pecc. mer. et rem. I. 15, 19. Cf. Concil. Carthag. can. 2.

immaculatæ ornantur (Matth. 5, 8. 45. Luc. 1, 6. 2 Tim. 4, 7. 1 Joh. 3, 9. 5, 5 al.) ideoque, si quando Paulus homines omnes peccatores declaraverit, esse de hominibus *qui tum erant*, Judæis et Ethnicis intelligendum. [9]) Illis vero Augustinus cum verba Jesu opposuit, quibus neminem præter Deum bonum declaravit (Luc. 18, 19), tum vero apostoli verba (Rom. 3, 23. 5, 12); quæ ita distincte proposita esse monet, ut mortalium nemo peccato excipiatur; neque igitur, quæ de perfecta hominum virtute occurrant, explicari posse nisi de eo honestatis et justitiæ modo, qui vitam sine *criminis* nota et accusatione transigat; imo ne optimum quidem a peccati labe immunem esse, querelas apostoli docere (Rom. 7, 15, ss.); has enim — consilio orationis docente — non ex persona infidelium vel impiorum, sed ex ipsa apostoli et reliquorum, qui justi vulgo dicuntur, persona prolatas esse, ideoque sortem deplorare, quæ hominibus naturâ insita omnibusque communis sit. [10])

Denique — ut hoc addamus — Pelagiani, ne voluntati humanæ libertatis usus detraheretur, in studiis hominum excitandis, inchoandis, peragendis mira quadam dispensatione partes inter Deum et homines distribuerunt. Itaque, quod Paulus (1 Cor. 4, 7) homines jubet omnia Deo accepta ferre, ex-

---

9) Aug. de pecc. mer. et rem. II, 22; 24. de perf. just. hom. 32, 34, 38, 39. de nat. et grat. 48.

10) De spir. et litt. 3. de pecc. mer. et rem. II. 22. de nat. et grat. 48. de perf. just. hom. 24, 32, 38, 39. contr. Jul. VI, 70. Cf. Concil. Carthag. can. 7.

plicarunt partim de natura hominis a Deo condita et viribus instructa, partim de doctrina legis divinitus nobis revelata; quare, distinguendo hæc tria: posse, velle, esse, solius Dei esse docuere, quod homo velle et perficere *possit*, hominis autem quod *velit* atque *perficiat*.[11]) Huic vero interpretationi Augustinus obstare monet luculenta Jesu apostolorumque effata (Joh. 6, 44. Phil. 2, 13), quibus ipsa quoque voluntatis consilia et studiorum successus ad Deum auctorem referuntur, ideoque hanc esse evangelii doctrinam: neque voluntatis arbitrium neque doctrinam legis sufficere, sed accedere gratiam divinam, quæ voluntatem ad bona consilia flectat et dirigat, atque eorum, quæ lege cognovimus, studium et amorem excitet.[12]) Posse tamen cum tanta gratiæ divinæ vi et efficacia liberam hominis voluntatem constare, sæpe et graviter affirmavit; quomodo utramque conciliandam esse docuerit, postea videbimus.

---

11) "quicquid bonæ voluntatis homo habet, Deo tribuendum esse; quia et hoc in illo esse non posset, si homo ipse non esset, neque vero eum nisi a Deo habere, ut sit aliquid, et ut homo sit." de pecc. mer. et rem. II. 29. de gratia Chr. n. 5. de grat. et lib. arb. n. 23, 25.

12) "*gratiâ agitur*, *non solum ut facienda noverimus*, *verum etiam ut cognita faciamus*, *neque solum ut diligenda credamus*, *verum etiam ut credita diligamus*." De grat. Chr. 13. — "Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla vero facit homo, quæ non facit Deus ut faciat homo." contr. duas epp. Pelag. II. 21. I. 37. IV. 11. de spir. et litt. 2, 14. de corrept et grat. 3, 17. Cf. Concil. Carthag. can. 5.

XXIII.

Prava in verbis singulis premendis sublilitas.

Hîc vero, ut in omnibus fere rebus humanis, virtutibus vitium vicinum fuit. Etenim qui curas accuratas et singulis verbis et orationi contextæ impendit, nimio quamquam honesto studio sæpe adductus est, ut litteras litterarumque apices subtiliter ultra modum rimaretur. Nihil quippe calamo currente scriptum esse concedit, in minutiis quibusque hæsitat, sollicite ubique quærens, quare hoc positum, illud omissum sit, quare his verbis, hoc verborum numero et ordine neque alio quocunque dictum sit, neque interrogando prius finem facit, quam nodum in scirpo invenire contigerit. In hoc autem toties fatendum est Augustinum peccasse, ut difficile dictu sit, fueritne in rebus facilibus impediendis major an in difficilibus expediendis; neque uno modo vel una ratione ductus in illam incidit culpam. *Nunc* enim, si quid dictum in libris sacris esset, quod hæreticis favere vel pietatem offendere videbatur, neque allegoriarum artibus commode locus pateret, in verborum litteras premendo urgendoque incubuit, ut sensus religioni convenientior exiret; *nunc* vero, ut dogmatibus vel dogmaticis ecclesiæ decretis argumenta nova adstruerentur, verba artis subtilitate torquebat; *denique* qui ingenio exuberanti temperare nunquam didicerat, sæpe videtur alio nullo consilio hoc lusuum genus adhibuisse, nisi ut genio indulgeret sibique delicias crearet.

Exempla abunde multa adsunt, ex quibus nonnulla afferre sufficiet.

Difficultatibus et objectionibus quomodo subtilius quam verius occurrerit, ex his patebit.

Gen. 2, 2: "Deus *requievit* die septimo."
Psalm. 58, (59) 6: "exsurge et *vide*"
Marc. 13, 32: "de illa hora *nemo scit, neque Filius*, nisi Pater."

Observat, hæc omnia *sensu activo* explicanda esse, eodem modo quo diem lætum dicimus diem, qui lætos facit homines; itaque "Deus requievit" ɔ: Deus *requiem nobis dat* — "Deus videt" ɔ: homines *videre facit* — "Filius nescit" ɔ: nos *nescire facit*, non prodens nobis, quod inutiliter sciamus — "Pater solus scit" ɔ: Filium *scire facit.*[13])

Gen. 27, 35: "Venit germanus tuus (Jacob) *fraudulenter*, et accepit benedictionem tuam." Observat, "frandulenter" dictum esse, quia *figuratum* erat, quod egerat Jacobus; dolum enim non fuisse, quum non mentitus esset dicendo, se Esavum esse; jam enim eum pactum esse cum fratre, ejusque primogenita emtione sibi comparasse (Ser. 4, 23).

Exod. 20, 5: "Ego sum Dominus, *visitans iniquitatem patrum in filios*, in tertiam et quartam generationem eorum." — Observat: non generationes esse, sed *quatuor generis humani ætates:* ab Abr. usque ad Dav., a Dav. ad Exil., ab Exil. ad adventum Dom., ab adv. Dom. ad finem rerum; sic autem historiâ constare, homines tempore exilii et postea viventes poenas luisse scelerum majorum (contr. Adim. 7, 2).

---

[13]) de Gen. contr. Manich. I. 34. Ser. 97, 1. de div. quæst. n. 60. Enarr. in Ps. 58, 6. de Trin. I. 23. de civ. D. XI. 8. Epist. 180, 3.

Psalm. 57 (58), 11: "justus manus suas *lavabit in sanguine peccatoris.*" — "Justus, quando videt poenam peccatoris, proficit ipse, et de cetero *mundius vivit.*" Enarr. ad l. l.

— 98 (99), 5: "*adorate scabellum* pedum Domini." — "terra est; *Chr.* autem *caro de terra* est, et de carne Mariæ carnem accepit; et quia carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quemadmodum non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando." (Enarr. ad l. l.).

— 68, 23. 78, 9. 12. 82, 14 al., in quibus *hostes diris quibusque exitio devoventur.* — Observat: non *optantis* verba esse, sed *prophetantis,* "ne quod præsaga mens in Spiritu Dei dicit, malevole imprecari videatur." (Enarr. ad ll. ll. de ser. Dom. in monte I, 71, 72).

— 109, (110) 4: ubi *Deus inducitur jurans.* Cf.:

Matth. 5, 24. — "Quum Dominus juraverit, quare Christus suos jurare prohibuit? non est peccat[illegible]erum jurare, sed quia grande peccatum est [illegible]urare, longe est a peccato falsum jurandi, [illegible]*ino non* jurat; propinquat falsæ jurationi, qui vel verum jurat; Dominus ergo noluit supra ripam te ambulare, ne pes tuus in angusto labatur et cadat." (Ser. 307, 4. de mendac. 28).[14])

[14]) Adde locum alium ex lib. de mendac. n. 28: "juravit autem ipse apost. in epistolis suis; — sed quia præcepti violati reum Paulum, præsertim in epistolis

Matth. 5, 37: "quod his abundantius est, *a malo est.*" — "Non dixit: malum est, sed a malo, h. e. *propter infirmitatem aliorum*, quæ infirmitas utique malum est." de ser. Dom. in monte I. 51.

Joh. 2, 4: "*quid mihi et tibi est* mulier! nondum venit hora mea." — Obs. Mariam fuisse matrem naturæ Jesu humanæ, qua passus est, non divinæ, qua miracula fecit, ideo eum dixisse: non *tuum est miraculum exigere*; aliquando aderit *hora passionis meæ*, hoc tempus erit te cognoscendi. Tract. in Ev. Joh. 9, 9.

2 *Cor.* 4, 4: "*Deus seculi hujus* excoecavit mentes infidelium." Quia Manichæi ex his verbis effecerunt, Paulum duos posuisse Deos, Aug. de vero Deo hæc dicta explicavit, verba ita construens sive potius destruens: Deus excoecavit mentes infidelium hujus seculi.. contr. Faust. XXI. 2. 3.

In his quæ sequuntur argutiarum exemplis *studium dogmaticum* magis apparebit.

Gen. 1, 1: "*in principio* creavit Deus" — h. e. *per Filium*. de Gen. ad litt. I. 12. Ser. I. 2. Confess. XIII. 5.

— 1, 3: "*dixit* Deus: fiat lux" — h. e. *creavit per Verbum* sibi coæternum, Filium. de Gen. ad litt. I. 6. 9.

— 1, 26. 27: "*faciamus* hominem" — ad indicandam pluralitatem personarum trium — "ad ima-

---

conscriptis atque editis ad spiritalem vitam salutemque populorum nefas est dicere, intelligendum est, illud "*omnino*" ad hoc positum, ut quantum in te est, non affectes, non ames."

ginem *Dei* creavit illum" — ut intelligatur *in trinitate* substantiæ *unitas*. de Gen. ad litt. III. 29. de civ. D. XVI. 6.

Gen. 1, 31: post hominis creationem non sigillatim, uti post herbas et bestias creatas, dici hominem esse bonum, sed generatim, "omnia quæ fecerit valde bona esse," *ut prænuntiaret, hominem peccaturum esse*, neque in imagine Dei mansurum." de Gen. ad litt. III. 36. 37.

— 24, 2: "pone manum tuam *subter femur meum*, ut adjurem te" — h. e. "ut jures *per genus Abrahami Chr.* olim in carne venturum." Tract. in Ev. Joh. 43, 16.

Psalm. 61 (62), 12: "*Semel* locutus est Deus" — h. e. quum Verbum *ab æterno* genuit. Enarr. ad l. l.

— 62 (63), 2: "sitivit in te anima mea et *caro mea*" — quia, ut animæ nostræ promittitur *beatitudo*, sic carni nostræ *resurrectio*. Enarr. ad l. l.

— 117 (118), 12: "circumdederunt me (hostes) *sicut apes*" — h. e. persecutores Christi nescientes fecerunt eum nobis *ipsa passione dulciorem*. Enarr. ad l. l.

— 129 (130), 6: "a *custodia matutina* usque ad noctem speret Israel in Domino" — h. e. quia Dom. *mane surrexit* a mortuis. Enarr. ad l. l.

Matth. 18, 16: "in ore duorum vel *trium testium* stet omne verbum" — per mysterium *Trinitas* commendata est, in qua est perpetua stabilitas veritatis. Tract. in Ev. Joh. 36, 10.

Joh. 11, 4: "infirmitas hæc est pro gloria *Dei*, ut glorificetur *Filius Dei* per eam" — ex obliquo

hîc *Dominus se Deum dixit:* qua gloria? cujus Dei? Filii Dei. Tract. 49, 6.

Joh. 11, 33: "turbavit *semet ipsum* "(ἐτάραξεν ἑαυτὸν) — observanda hîc potestas: turbaris tu *nolens,* turbatus est Chr., *quia voluit.* Tract. 49, 18.

— 17, 3: "cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti J. Chr." — h. e. cognoscant te et quem misisti J. Chr. *solum verum Deum* esse. contr. Maximin. II. 15, 4.

— 19, 34: "unus militum lancea latus ejus *aperuit*" — non percussit aut vulneravit, sed aperuit, ut illic quodammodo *vitæ ostium panderetur,* quum ille sanguis in remissionem fusus sit peccatorum. Tract. 120, 2.

— 20, 17: "*noli me tangere,* nondum enim adscendi ad Patrem meum." — h. e. noli *in me* sic *credere,* quemadm. adhuc sapis; ibi me tanges, quando me credideris Patri non imparem Deum. Tract. 121, 3.

— 20, 22: "insufflavit et dixit iis: accipite Spir. S." — *itaque Sp. S. de Filio etiam procedit.* Cf.: *Luc.* 8, 46 ("novi *virtutem* de me exiisse"); nam virtutis nomine appellari Sp. S., clarum est ex Luc. 1, 35 (πνεῦμα ἅγιον κ. δύναμις Ὑψίστου). Tract. 99, 7. contr. Maximin. II. 14, 1. de civ. D. XIII. 3.

1 *Tim.* 2, 4: "qui *omnes homines* vult salvos fieri" — h. e. non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit, sed quod *nullus fiat, nisi quem velit.* de fide spe et carit. n. 27.

1 *Joh.* 5, 8: "Spiritus et aqua et sanguis, hi tres unum sunt" — hæc sacramenta sunt et signa rerum:

Spiritus est *Pater,* Sanguis est *Filius,* aqua est *Spir. S.*, ex Joh. 7, 39 ("flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; hoc dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum"). contr. Maxim. II. 22, 3.

Multa denique sunt, in quibus miro modo argutatus est, nullo ut videtur consilio ductus, nisi ut ardenti quo ferebatur *subtilitatum studio* commodius indulgeret.

Gen. 1: *Numerus senarius* perfectus hac ratione est, quod ex partibus suis in summam ductis ipse conficitur (1 (ɔ: pars sexta) + 2 (ɔ: p. tertia) + 3 (ɔ: p. secunda) = 6); quemadmodum igitur ipse numerus partibus suis in trigonum surgit, sic primo die facta est lux, duobus sequentibus firmamentum coeli, mare et terra, tribus aliis ea quæ in mundo disposita sunt. de Gen. ad litt. IV. 3-6.

Psalm 8, 10. 10, 8. 35, 8. 48, 3 al.: *Homo* et *Filius hominis* distinguendi sunt (Adamus enim homo erat, sed non filius hominis): homo est *homo vetus,* qui imaginem portat hominis terreni, Adami; filius hominis est *homo novus,* qui imaginem habet coelestis Christi; *quia homo novus nascitur ex vetere.* Enarr. in ll. ll.

— 50 (51), 9: "asperges me *hyssopo,* et mundabor" — quia hyssopus vim habet vel ad purgandum pulmonem, vel ad saxa radicibus penetranda. Enarr. in l. l.

— 85 (86), 13: "eruisti animam meam *ex inferiori*" (מִשְּׁאוֹל תַּחְתִּיָּה) — inferius dicitur, quia sedes terrestres, cum habitatione angelorum comparatæ, infernum dicendæ sunt. Enarr. in l. l.

Psalm. 90 (91), 7: "cadent a *latere* tuo *mille*, et *decem millia* a *dextris* tuis" — h. e. multi deficient a Christo, alii ex iis, qui promiserant sibi sedes *judicantium* cum Christo (Matth. 19, 28), alii ique numero plures, qui per liberalitatem speraverant, se *locum ad dexteram Chr.* occupaturos esse Matth. 25, 33). Enarr. in l. l.

— 92 (93), 1: "indutus est Dominus fortitudinem, et *præcinxit* se" — non cinctus, sed præcinctus; nam omnis fortitudo *in humilitate*, quia superbia fragilis est; ideo quum de fortitudine diceret, addidit: præcinctus est, *ut recolas Chr. præcinctum humilem, quando pedes discipulorum lavit.* Enarr. in l. l.

— 100 (101), 8: "*in matutino* interficiebam omnes peccatores terræ" — h. e. *parcit iis usque ad matutinum*, quia nox erat tempus misericordiæ, dum corda hominum adhuc latebant. Enarr. in l. l.

— 103 (104), 35: "deficiant iniqui, ita ut non sint" (עוֹד אֵינָם) — h. e. ut *non sint sc. iniqui*, ergo justificentur. Enarr. in l. l.

— 134 (135), 2: "laudate nomen Domini, qui *statis* in domo Domini" — stare dicuntur, qui *non ruunt*, perseverantes in mandatis Domini. Enarr. in l. l.

— 138 (139), 3: "intellexisti cogitationes meas *de longe*" — h. e. quum adhuc in peregrinatione sum, *antequam ad patriam coelestem veniam.* Enarr. in l. l.

Matth. 10, 16: "estote prudentes *sicut serpentes*" — notum est, serpentem totum corpus pro

capite objicere ferientibus, ita nos *pro capite nostro, qui est Chr., corpus persequentibus offeramus*" de doctr. chr. II. 24.

Matth. 16, 18: *super hanc petram* ædificabo ecclesiam meam" — h. e. super petram, quam ipse confessus es, *Christum.* Tract. in Ev. Joh. 124, 5.

Marc. 14, 36: "Chr. dixit: abba, pater!" — fortasse Chr. utrumque dixit, ut ostenderet, illam tristitiam se suscepisse ecclesiæ causa, quæ constabat partim ex *Hebræis,* partim ex *gentibus.* de cons. Evv. III. 14.

Luc. 11, 20: "in *digito Dei* ejicio dæmonia" — Sp. S. dicitur digitus Dei *propter partitionem donorum,* quæ eo dantur unicuique propria. de ser. D. in monte II. 17.

Joh. 8, 6: "digito *scribebat in terra*" — digito Dei lex scripta est, sed propter duros in lapide scripta; nunc Chr. in terra scribebat, *quia fructum quærebat.* Tract. 33, 5.

— 8, 48. 49: "responderunt Judæi.... Samaritanus es, et dæmonium habes; respondit Jesus: ego dæmonium non habeo." — *negavit unum, alterum non negavit*; Samarit. enim *custos* est; et noverat ille, se nostrum esse custodem. Tract. 43, 2.

— 10, 9: "per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur" — h. e. *ingredietur in ecclesiam,* et *egredietur* ex eccl. *in vitam æternam.* Tract. 45, 15.

— 13, 1: (Chr) "*in finem* dilexit eos" (discipulos) — h. e. *in Christum, qui finis legis est,* nimirum: ut dilectione ejus transirent ad suum caput, quod jam prius hinc transierat. Tract. 55, 2.

XXIV.

Justa ad nexum et consilium orationis aliosque Scripturæ locos attentio.

Atvero, qui in his et aliis multis miro modo argutatus est, eundem saniore oculo sæpe et pede liberiore utentem videmus, non in subtilissimis verborum tricis defixum, sed ad totam orationis indolem conversum. Hîc vero, ne repetantur Augustini regulæ ante jam laudatæ (p. 145), pauca modo addenda erunt, quo rectius illæ intelligantur æstimenturque. Ita ut appareat, si quis in sonis ductibusque litterarum totus hærere velit, errores neutiquam evitari posse, monet: in codicibus sacris sæpe, quod de omnibus dictum [15]) esse videatur, de nonnullis vel plerisque intelligendum esse; sæpe verba eadem diverso sensu posita esse, ut ad totam orationis seriem totumque consilium attendere oporteat; [16]) sæpe subito et ex improviso sermonem ab uno ad alterum transire, ut facile in eo errari possit, maxime in libris poetici vel prophetici argumenti, nisi accurate

---

[15]) "*Scripturæ mos est loqui de parte tanquam de toto;* istam div. scripturarum consuetudinem, per omne corpus litterarum ejus creberrime sparsam, quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quæ inter se videntur contraria." Ep. 149, 20.

[16]) "Non semper in Scriptura eadem significantur rebus certis, sed pro locis Scripturarum, quo pertinent cetera circumstantia ipsius lectionis; *quemadmodum litteræ in tot millibus verborum atque sermonum ipsæ repetuntur, non augentur;* quum una littera variis in locis ponitur, pro loco valet, non unam rem valet." Ser. 32, 6.

animum adverteris.[17] Neque, quod hoc loco proxime quæritur, in libris ejus interpretationes desunt, quibus præcepta et monita reipsa illustrata nobisque gravius commendata habemus.

Gen. 1: "Quid opus erat, sex dies tam distincte dispositeque narrari? quia scilicet ii, qui non possunt videre, quod dictum est: creavit omnia *simul*, nisi quum iis sermo tardius incedat, ad id quo eos ducit pervenire non possunt. Dies ergo ille, quem Deus primitus fecit, præsentatus est omnibus operibus hoc ordine præsentiæ quo ordine scientiæ, non per intervallorum temporalium moras, sed *prius et posterius habens in connexione creaturarum, in efficacia vero creatoris omnia simul.*" de Gen. ad litt. 4, 56. 5, 12.

Gen. 1, 26: "non propter corpus dici hominem factum ad imaginem Dei, sed *propter eam potestatem*, qua omnia pecora superat, neque hoc propter corpus, sed *propter intellectum*, quem nos habemus et illa non habent." de Gen. contr. Manich. I. 28.

— 2, 1: "Si quis inquirat: quomodo consummavit Deus, et quomodo inchoavit, — *consummasse*

---

17) "Mutationes personarum repentinæ et omnino ex improviso inveniuntur in sacris Scripturarum libris; et si quis advertat, plenæ sunt paginæ divinæ." Enarr. in Ps. 45, 8. "Incredibilis est coecitas hominum, et omnino nescio quemadmodum credi possit esse in hominibus tanta perversitas, ut, quum commemorent S. Scripturæ testimonia, non intueantur in factis prophetarum, quemadmodum intelligenda sint verba eorum." contr. Ep. Parmen. III. 23.

intelligimus Deum, quum *creavit omnia simul* ita perfecte, ut nihil ei adhuc in ordine temporum creandum esset, *inchoasse* autem, ut, quod hîc præfixerat causis, *post impleret effectis.*" de Gen. ad litt. 6, 19.

Gen. 2, 18 ("*dixit* Dom. Deus): "an forte in mente ipsius hominis hoc dixit Deus? an aliqua per angelum est facta revelatio, quamvis tacuerit Scriptura, utrum in somnis an in ecstasi? verumtamen *certissime teneamus, si corporali voce dixit, non eum per substantiam suam, sed per aliquam imperio suo subditam dixisse creaturam.*" de Gen. ad litt. 9, 3.

— 3, 8 ("quum *audissent vocem Dei* deambulantis in paradiso") — "Visus est Deus sanctis viris aliter atque aliter; non tamen illas visiones hominibus per substantiam, sed *per sibi subdita* quæ creavit eum præbuisse, et *per similitudines formarum vocumque corporalium* quod voluit ostendisse atque dixisse, certissimum est."[18]) de Gen. ad litt. 9, 4. 11, 43.

1 *Reg.* 15, 11 ("Deus: *poenitet me,* inquit, quod constituerim Saul regem") — "Ego, quum de Deo hoc dicitur, indignum aliquid dici arbitrarer, si ali-

[18]) Cf. Ep. 147, 46. 50: "Deus non in loco videtur, sed mundo corde, neque corporalibus oculis quæritur; — miror, unde nata fuerit illa opinio, qua putatum est, tantum ad corpora pertinere visionem; Scripturæ sacræ non sic loqui solent; quæ, nisi non tantum corpori verum etiam spiritui magisque spiritui quam corpori tribuerent visionem, non prophetas proprie *Videntes* appellavissent, qui non corpore, sed spiritu etiam futura viderunt."

quid dignum inveniretur, quod de illo diceretur. Quum verba humana Dei sempiterna virtus et divinitas mirabiliter excedat, humana admonetur infirmitas, *etiam illa, quæ congruenter in Scr. sanctis de Deo dicta existimat, humanæ capacitati aptiora esse quam divinæ sublimitati,* ac per hoc etiam ipsa transcendenda esse sereniore intellectu." de div. quæst. ad Simplic. I. 2, 1.

Psalm. 16, 8 ("*sub umbra alarum tuarum* protege me") — "De *membris Dei,* quæ assidue Scriptura commemorat, — *alas* quum audimus, *protectionem* intelligimus; quum audimus *manus*, *operationem* intelligimus; quum audimus *pedes*, *præsentationem*, quum audimus *oculos*, *visionem* qua cognoscit, quum audimus *faciem*, *notitiam* qua innotescit; et si quid aliud eadem Scr. tale commemorat, puto spiritaliter intelligendum." Ep. 148, 13.

Hagg. 1: "*More suo Scriptura loquitur, quæ sic arguit malos, tanquam omnes in eo populo mali sint, et sic consolatur bonos, tanquam omnes ibi tales sint.*" ad Donat. post collat. n. 32.

Matth. 6, 9 ("*sanctificetur* nomen tuum!") — h. e. nomen tuum *sanctum esse innotescat.* de div. quæst. 69, 4. — Cf.:

1 *Cor.* 15, 24. 25. 28: finis erit, quum Patrem regnare *monstraverit*; — oportet regnum ejus in tantum manifestari, donec omnes inimici ejus ipsum *regnare fateantur*; — tum manifestum erit, Filium Patri subjectum esse.[19]) de div. quæst. 69, 5. 7.

[19]) "*Sic plerumque Scriptura loquitur, ut quod semper est*

Matth. 12, 31 *(blasphemia Spiritûs)*: neque intelligendos esse errores dogmaticos, neque peccata post baptismum commissa vel cum conscientia peccati, sed "*peccare in Sp. S., qui operibus, quæ per Sp. S. fiant, malevolo animo contradicit*, qui hoc animo est, ut ea opera, quibus invidet, malit non esse Sp. sancti, non quia mala sunt, sed quia ipsi bonitati est contrarius per malitiam suam;" — quæ vero remitti non possit, est "*perseverantia in nequitia et malignitate, cum desperatione indulgentiæ Dei.*" [20]) Exp. Ep. ad Rom. inchoata n. 15-22. Ser. 71, 7. 20. Ep. 185 n. 48-50.

Joh. 5, 19 ("non potest Filius ex se facere quidquam, nisi quod *viderit* Patrem facientem"): objici posse, Filium super mare ambulasse, Patrem nunquam ambulasse; sed "*non alia est visio et alia substantia ejus*, neque alia potentia ejus et alia substantia ejus; totum quod est, de Patre est, *totum quod potest, de Patre est*; quoniam quod potest et est, unum est." Tract. in Ev. Joh. 20, 8.

— 6, 29 ("hoc est opus Dei, ut *credatis in eum*, qui me misit") — "*ex fide ideo dicit justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, in quibus juste vivitur.*" de prædest. Sanct. n. 12.

---

tunc fieri dicatur in aliquo, quum in eo cognosci cœperit." de div. quæst. 69, 4.

20) "*Sed ista impoenitentia, quamdiu quisque in carne vivit, non potest judicari; de nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad poenitentiam adducit.*" Ser. 71, 7. — Eandem fere interpretationem vide apud *Hieron.* Comm. in Matth. 1, 1.

Joh. 6, 44 ("Nemo potest venire ad me, nisi Pater *traxerit* eum") —: "*Noli te cogitare invitum trahi, trahitur animus et amore*; trahit Pater ad Filium eos, qui propterea credunt in Filium, quia eum cogitant Patrem habere Deum." Tract. 26, 4. 5.

— 6, 55 ("qui *manducat meam carnem et bibit meum sanguinem*, habet vitam æternam") —: "*hunc cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est ecclesia*; ac per hoc qui non manet in Christo et in quo non manet Christus, procul dubio neque manducat carnem ejus neque bibit ejus sanguinem." Tract. 26, 18.

— 16, 13 ("Spiritus quæcunque audiet loquetur") —: "*audire* illi *scire* est, *scire* vero *esse*; quia ergo non est a semet ipso, sed ab illo a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quam scientia." Tract. 100, 4.

Rom. 7, 15 ss.: "*Timendum est, ne lectio male intellecta det hominibus occasionem quærentibus occasionem; agunt malum, et quasi displicentes sibi quia agunt malum, putant se apostolo esse similes*; prius ergo recolite, vitam justi in isto corpore adhuc bellum esse nondum triumphum; hujus autem belli aliquando erit triumphus." Ser. 151 n. 1. 2.

Rom. 14, 21 ("*Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum*") —: hæc dicta esse "*aut refrenandæ gulæ causa*, quæ his rebus solet rabidius immoderatiusque raptari, *aut ne frater offendatur*; finis enim, quo referuntur ea quæ

facimus, si non solum inculpabilis sed etiam laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta nostra laude aliqua digna sunt; sin ille jure meritoque culpatur, quum in aliquo versamur officio, id quoque officium nemo improbandum vituperandumque dubitaverit." de morib. Manich. II. 27. 31.

1 *Cor.* 3, 18 ("homo *stultus fiat, ut sit sapiens*"): "Multa sunt verba, quæ non habent unam significationem, sed diversis locis congruenter posita diverso modo intelliguntur." de cons. Evang. II. 72.

— 10, 4 (*"petra erat Christus"*) —: "non per substantiam, sed per significationem; *solet enim res quæ significat ejus rei nomine quam significat nuncupari.*" Quæst. de Levit. 57, 3.

2 *Cor.* 3, 6 ("Littera occidit, Spiritus vivificat") —: "*Spiritus adoptionis et gratiæ*, quo impertitur regeneratio in vitam æternam — *Lex conscripta* tantummodo jubens, sine adjutorio gratiæ." Quæst. de Exod. n. 56.

1 *Thess.* 5, 19 ("Spiritum nolite exstinguere!") —: "id est: quantum in vobis est, *nolite sic agere, tanquam conemini Spiritum exstinguere*, aut tanquam Spiritum exstinctum deputetis." contra Epist. Parmen. II. 30.

1 *Joh.* 2, 22 ("quis est mendax, nisi is qui negat, Jesum esse Chr.") —: "non attendamus ad linguam, sed ad facta; si enim omnes interrogentur, omnes uno ore confitentur Jesum esse Chr.; quiescat paululum lingua, interroga vitam; *quisquis factis negat Chr., Antichristus est; non audio quid sonet, video quid vivat; opera loquuntur, et verba requirimus?*" Tract. in Ep. Joh. 3, 8. 6, 13. 10, 1.

Apoc. 20: explicasse alios sensu corporeo de sabbatismo mille annorum; quam opinionem tolerari posse, nisi modum excedentes, comessationes aliasque carnis delicias impie finxerint: "*mille annos pro omnibus hujus seculi* posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo; — *alligatio diaboli est, non permitti exercere totam tentationem*, quam potest vel vi vel dolo ad seducendos homines; *hæc autem alligatio diaboli non solum facta est, ex quo cœpit ecclesia dilatari, sed etiam nunc fit et fiet*; quia et nunc homines ab infidelitate, in qua ipse eos possidebat, convertuntur ad fidem, et usque ad finem sine dubio convertentur." de civ D. XX. 7, 1. 2. 8, 1. 3.

Deinde, si quid dictum obscurius sit, sic tamen, ut lucis nonnihil aliunde repeti possit, hoc diligenter afferendum curavit, ut argumentum ex collatione accurata cognosceretur et dilucide exprimeretur. Exempla nonnulla delibabimus.

Matth. 5, 39 ("si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram") —: neque Jesum (Joh. 18, 23), neque Paulum (Act. 23, 3), quum alapâ percussi fuerint, alteram maxillam præbuisse; unde constare, *illam præparationem maxillæ alterius in corde faciendam esse.* de mendac. n. 27.

Matth. 24: "Multa de ultimo judicio ita dici videntur, ut diligenter considerata reperiantur ambigua; ita ut dignosci non possint omnino, *nisi ea, quæ apud tres Evangelistas de hac re similiter dicta sunt, inter se omnia conferantur*; *quædam quippe*

alter obscurius, alter explicat planius, ut ea, quæ ad unam rem pertinentia dicuntur, appareat unde dicantur." de civ. D. XX. 5, 4.

Joh. 1, 18 ("Deum *nemo* vidit unquam") illustrari ex 1 Tim. 6, 16 ("quem *nullus hominum* videt"), ideoque bene constare cum *Matth.* 18, 10 ("*angeli* semper vident faciem patris"). Ep. 147, 14.

Gal. 2, 21 ("si *per Legem justitia*, gratis Chr. mortuus est") illustr. ex *Rom.* 10, 3: "ignorantes justitiam Dei, et *suam quœrentes staluere*"): "et adhuc dubitamus, quæ sint opera legis, quibus homo non justificatur? *si ea tanquam sua crediderit, sine adjutorio et dono Dei.*" de Spir. et litt. n. 50.

Hanc viam vero, quam interpretando monstravit Augustinus, unice rectam esse, evidenter inprimis apparet eorum ratione habita, quæ sive ab uno auctore sive a diversis ita dicta sunt, ut repugnare unum alteri et videri possint et multis visa sint. Hîc enim ut consensus doctrinæ efficiatur, ipsa docet necessitas in diversitate verborum non subsistere, sed oculo liberiore unitatem sententiæ ex formæ diversitate componere. Neque hîc desunt egregia in libris Augustini exempla.

Matth. 5, 16: "sic luceat lux vestra *coram hominibus,* ut videant opera vestra bona."
— 6, 1. 4: "*ne* justitiam vestram faciatis *coram hominibus*, ut videamini ab iis."

"Si *quœris,* ut glorificetur Deus, noli timere, ne videaris ab hominibus; etiam sic intus est eleemosyna tua in abscondito, ubi solus ille, cujus gloriam quæris, te videt hoc quærere." Ser. 149, 14.

Matth. 12, 30: "Qui *non* est *mecum*, *contra me* est."
Luc. 9, 50: "Qui *non* est *adversus vos*, *pro vobis* est.

"Ut utraque sententia vera sit, quid restat intelligendum, nisi quia ille in tanti nominis veneratione confirmandus fuit, ubi non erat contra ecclesiam, sed pro ecclesia; et ille tamen separatione culpandus, ubi, si colligeret, spargeret." de bapt. contr. Donat. I. 9.

Joh. 5, 22: "Neque Pater judicat quemquam, sed *omne judicium dedit Filio.*"
— 8, 15. 50: "*Ego non judico quemquam;* — est qui quærat et judicet."

"Hoc dictum est, quia hominibus in judicio non apparebit nisi Filius; Pater occultus erit, Filius manifestus." Tract. in Ev. Joh. 21, 12. 13.

Joh. 5, 24: "qui verbum meum audit et credit ei, *in judicium non venit.*"
2 *Cor.* 5, 10: "*Omnes* nos *manifestari oportet* ante tribunal Christi."

"Aliquando judicium poena dicitur, aliquando discriminatio; secundum hunc modum oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi." Tract. 22, 4. 5.

Joh. 8, 47: "*ex Deo non estis.*"
1 *Cor.* 11, 12: "*omnia ex Deo sunt.*"

"In homine uno utrumque potest inveniri, ut simul sit vivus atque peccator; sed quod vivus, ex Deo, quod peccator, non ex Deo." de duab. animab. c. Manich. n. 9. Tract. in Ev. Joh. 42, 15.

Joh. 16, 24: "usque ad hoc tempus *non petiistis quidquam in nomine meo.*"
Luc. 10, 17: "reversi sunt 72 cum gaudio dicentes: Domine! etiam dæmonia subjiciuntur nobis *in nomine tuo.*"

"Discipuli adhuc sub lege mundi, adhuc corrigendi, adhuc dirigendi; ergo: quod petiistis — ait — ad quod volo dare, nihil est; — non omnino nihil erat, sed ad illam magnitudinem præmiorum Dei exiguum." Ser. 145, 6.

Jac. 1, 13: *"Deus neminem tentat."*
Deut. 13, 3: *"tentat vos Deus,* ut palam fiat, utrum diligatis eum an non."

"Intelligimus, duas esse tentationes, unam quæ decipit, alteram quæ probat; secundum eam quæ decipit Deus neminem tentat, secundum eam quæ probat, tentat." Tract. in Ev. Joh. 43, 5. 6.

1 *Joh.* 1, 10: "Si dixerimus, *non nos peccasse,* eum mendacem facimus."
— 3, 9: "qui natus est ex Deo, *peccatum non facit.*"

"Est quoddam peccatum, quod non potest admittere ille, qui natus est ex Deo: qui facit contra caritatem, non audeat gloriari et dicere, natum se esse ex Deo; qui autem in dilectione fraterna constitutus est, certe sunt peccata, quæ non potest admittere, et hoc maxime, ne oderit fratrem." Tract. in Epist. Joh. 5, 3.

1 *Joh.* 4, 18: *"Timor non est in caritate,* sed perfecta caritas foras mittit timorem."
Ps. 18, 10: *"Timor Domini sanctus,* permanens in secula seculorum."

"Est timor servilis, et est timor castus; est timor ne patiaris poenam, et alius timor, ne amittas justitiam." Tract. in Ev. Joh. 43, 6. 7.

Denique vero, ut doceat, quantum sibi curæ cordique fuerit in sensu simplici et genuino subsistere, neque ultra litteram scriptam judicium extendere, sæpius in magna verborum obscuritate et ambiguitate nihil definire pro certo ausus est, ignorantiam fateri satius arbitratus, quam scientiam temere jactare:

Joh. 12, 39 ("non poterant credere, quod dixit Esaias: *excoecavit (Deus) oculos eorum*" cet.): "quare non poterant, si a me quæratur, cito respondeo: *quia nolebant.* Quum quæstiones hujusmodi in medium venerint, quare ille Deo decernente excoecetur, ille Deo adjuvante illuminetur, *non nobis judicium de judicio tanti judicis usurpemus.*" Tract. in Ev. Joh. 53, 6.

2 *Thess.* 2, 1 ss.: "Nos qui nescimus, quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id quod sensit Apostolus cupimus, neque valemus, præsertim quia et illæ qua addidit hunc sensum faciunt obscuriorem; — *ego prorsus quid dixerit me fateor ignorare.*" de civ. D. XX. 19, 2. Epist. 199 n. 11.

1 *Pet.* 3, 18: "Quis nisi infidelis negaverit, fuisse apud inferos Christum? Verum *quinam isti sint, quos noverat liberandos, temerarium est definire.* — Cur ergo Petrus eos tantum commemorare voluerit, quibus in carcere inclusis Evang. prædicatum est, qui in diebus Noachi increduli fuerunt, *vides quam latebrosum sit, et quæ me moveant ne*

affirmare hic aliquid audeam."[21]) Epist. 164 n. 4. 10.

Augustini allegorica interpretandi ratio.

XXV.

A. Allegoriarum elementa.

De usu allegoriarum quid judicaverit Noster, quam eximium iis in rebus religiosis pretium quantamque sibi in lusibus illis libertatem concesserit, prius jam observatum est (p. 150 ss.). Restat ut exemplis afferendis ostendatur, quomodo frenis omnibus solutis libertas in licentiam abierit. Ita neque hîc luci defuit umbra, macula nitori.

Esse autem artis illius rationem variam et multiplicem, cum res ipsa docet — figurarum enim umbrarumque numerus et usus aliis alius est — tum vero exemplis constat eorum, qui in imaginibus quærendis consentientes in inveniendis miro modo dissenserunt. Quod quum ita sit, libros Augustini insigni allegoriarum varietate distinctos esse, quis de-

---

21) Digna tamen quæ notetur est sententia, quam deinde non sine hæsitatione linguæ proposuit, interpretatione allegorica ut videtur recepta: "*Considera tamen ne forte totum illud, quod de conclusis in carcere spiritibus Petrus dicit, omnino ad inferos non pertineat, sed ad illa potius tempora, quorum formam ad hœc tempora transtulit;* illa quippe res gesta forma fuerat futurorum, ut ii, qui modo non credunt Evangelio, illis intelligantur esse similes, qui tunc non crediderunt, — *et non suspicemur, quod apud inferos Evangelium prœdicatum sit vel adhuc etiam prœdicetur, quasi et ibi sit ecclesia constituta.*" Ep. 164 n. 15.

mum — in tanta ingenii vi et foecunditate — non exspectaverit? Juvabit igitur, speciminibus electis artes, in quibus multum et valebat et ipse valere gloriæ ducebat, accuratius cognoscere; quæ quamquam non omnes ab eo vel inventæ vel tum demum adhibitæ, at certe non tam aliunde receptæ, quam ingenio ejus amplificatæ, adornatæ inque systematis formam quasi redactæ sunt; eoque magis, nisi egregie fallor, juvabit, quod — quum Origenis aliorumque, sub quorum auspiciis allegoriarum usus effloruit, non nisi fragmenta librorum exegeticorum nobis relicta sint — nescio an plenius et accuratius hujus interpretationis ambitus et ratio ex aliis nullis antiquæ ecclesiæ monumentis cognosci queat.

Habet autem, ut reliquæ omnes, hæc etiam ars, ex quo pleniorem formam accepit, prima sua stamina, certam methodum habet, quâ, principiis simplicioribus præmissis, componendo construendoque figmenta magis artificiosa efficiuntur. Quare, ut a *primis elementis* incipiamus, quæ signis hieroglyphicis non adeo dissimilia sunt, singulæ naturæ physicæ res, coelestes pariter ac terrestres, rerum civilium instituta, domesticarum apparatus, terrarum, urbium populorum nomina, quæ in voluminibus sacris frequentius occurrunt — nonnunquam etiam, in libris poeticis præsertim et orationibus gnomicis, sensu figurato — in meras rerum hominumque umbras mutantur, ut, significatione propria atque indole sermonis prorsus neglecta, mystici quid semper iis subesse doceatur, sic tamen, ut ex imaginum mysteriorumque copia nunc hoc nunc illud, suadente interpretationis commodo, arripiatur.

Specimina *glossarii allegoriarum* hæc sunt:

Coeli: Sacra Scriptura ("opus *digitorum* Dei"). Enarr. in Ps. 8, 7.

Apostoli. de cons. Evv. I. 46. Enarr. in Ps. 67 (68), 9. 96 (97), 6.

Sancti et Justi. de Ser. Dom. in monte II. 17. Enarr. in Ps. 49 (50), 4.

Sol, Dies: Homines spirituales (ex Sir. 27, 12). Enarr. in Ps. 73 (74), 16.

Luna, Nox: Homines carnales. ibid.

Luna: Ecclesia (quia a parte spirituali lucet, a carnali obscura est. *v.* quia lucem non suam habet, sed a Filio Dei illustratur). Enarr. in Ps. 10, 3. 103 (104), 19.

Mortalitas (quia crescendo et decrescendo mutatur). Enarr. in Ps. 88 (89), 37.

Novilunium: Nova vita sub auspiciis Christi. Enarr. in Ps. 80 (81), 4.

Sidera: Ecclesiæ singulæ. Enarr. in Ps. 8, 9.

Omnes in ecclesia, qui conversationem habent in coelis. Annot. ad Job. 38, 32.

Sidera noctis: Homines in peccatis eminentes. I. 1. 3, 8.

Fulgura: Miracula Christi. Enarr. in Ps. 96 (97), 4.

Arcus Dei: Scriptura sacra. Enarr. in Ps. 10, 2.

Sagittæ Domini: Verba Dei. Enarr. in Ps. 45 (46), 16. 76 (77), 19. Annot. ad Job. 6, 4.

Apostoli. Enarr. in Ps. 8, 14.

Manus, dextera, brachium Dei: Christus. Enarr. in Ps. 108 (109), 27.

Nubes: Prophetæ et doctores. Enarr. in Ps. 10 (11), 10. 64 (65), 10. 76 (77), 18.

Tempestates: Voces maledicorum. Enarr. in Ps. 68 (69), 3.

Aquilo: Impietas. Annot. ad Job. 38, 24.

Auster: Pietas. ibid.

Pluvia: Scriptura sacra. l. l. 38, 25.

Pluviæ: Sermones evangelii. l. l. 37, 6.

Superstitiones caliginosæ et rumores hominum. de ser. Dom. in monte II. 87.

Nix: Superbi, qui congelascunt et cadunt. Enarr. in Ps. 77 (78), 48. Annot. ad Job. 38, 22.

Grando: Impii, qui obstinata duritia alios contundunt. ibid.

Æstas: Homines spiritu ferventes. Enarr. in Ps. 73 (74), 17.

Ver: Novelli in fide. ibid.

Mare: Populi hujus seculi (ex Apoc. 17, 15). Enarr. in Ps. 32 (33), 7. 65 (66), 6. 76 (77), 17.

Fundus maris: Cor impiorum. Enarr. in Ps. 64 (65), 8.

Fluctus maris: Homines impii. Enarr. in Ps. 68 (69), 3.

Opera mala. Annot. ad Job. 38, 16.

Flumen: Omnis seculi mortalitas. Enarr. in Ps. 65 (66), 6. 136 (137), 1.

Flumina: Institutiones religiosæ. Enarr. in Ps. 73 (74), 15.

Homines cupidi bonorum hujus seculi. Enarr. in Ps. 88 (89), 26.

Naves: Ecclesiæ inter procellas commeantes. Enarr. in Ps. 103 (104), 26.

Mons: Justitia (ex Ps. 35, 7: justitia tua sicut montes Dei). Enarr. in Ps. 3, 4.

Christus (ex Dan. 2, 35: "lapis, qui percusserat statuam, factus est mons magnus"). Enarr. in Ps. 47 (48), 2. 67 (68), 15.

Mons umbrosus: altitudo Sacræ Scripturæ. de civ. D. XVIII. 32.

Montes: Præcepta majora justitiæ. de ser. Dom. in monte I. 2.

Animæ excelsæ. Tract. in Ev. Joh. 1, 2.

Magni prædicatores. Enarr. in Ps. 35 (36), 7. 65 (66), 7.

Reges superbi. Enarr. in Ps. 17 (18), 8. 94 (95), 4.

Petræ: Testimonia Scripturæ sacræ (petra — Christus). Enarr. in Ps. 103 (104), 12.

Campi sylvestres: Gentes incultæ. Enarr. in Ps. 131 (132), 6.

Volucres: Homines spirituales. ibid.

Homines superbi. Enarr. in Ps. 6, 13.

Vultur: Christus (quia de altitudine prophetiæ vidit mortalitatem nostram, qua descendens pasceretur, nos in corpus suum convertens). Annot. ad Job. 4, 7.

Struthio: Homo ingenio tardus, qui evolare non potest. Annot. ad Job. 39, 13.

Pisces: Homines curiosi, qui temporalia in profundo hujus seculi inquirunt. Enarr. in Ps. 8, 13.

Bestiæ sylvæ: Gentes. Enarr. in. Ps. 103 (104), 11.

Draco: Diabolus. Enarr. in Ps. 73 (74), 14.

Unicornis: Superbia. Annot. ad Job. 39, 9.

Fides firma, in Deum unice conversa. Enarr. in Ps. 77 (78), 69.

Tragelaphus: Homo, quatenus cervus est, Deo serviens, quatenus hircus, legi sensuali obnoxius. Annot. ad Job. 39, 1.

Æquus fortis: Martyr intrepidus. l. l. 39, 19.

Cervus: Homo spiritualis, qui cursu omnia spinosa transcendit. Enarr. in Ps. 103 (104), 18.

Pecora: Homines carnis voluptate gaudentes. Enarr. in Ps. 8, 13.

Boves: Prophetæ et Apostoli (ex 1 Cor. 9, 9). Enarr. in Ps. 8, 12. 65 (66), 14. Tract. in Ev. Joh. 10, 7.

Tauri: Hæretici (ob cervicis duritiem). Enarr. in Ps. 67 (68), 31.

Rana: Vanitas loquax. Enarr. in Ps. 77 (78), 45.

Locusta: Malitia, quæ testimonio perfido lædit. ibid. v. 46.

Cedrus: Spes, quæ in regionibus supernis habitat. Quæst. in Num. 33, 6.

Hyssopus: Fides (quæ, quum sit herba humilis, radicibus hæret in petra). ibid.

Ægyptus: Seculum hocce. Enarr. in Ps. 77 (78), 12. 113 (114), 1.

Æthiopes: Populi peccatores (nigri). Enarr. in Ps. 73 (74), 14.

Aurum Arabiæ: Sapientes inter gentes. Enarr. in Ps. 71 (72), 15.

Libanus: Dignitas hujus seculi (arbores altissimæ). ibid. v. 16.

Lapides Sion: Prophetæ. Enarr. in Ps. 101 (102), 15.

Portæ Sion: Prophetæ et Apostoli, per quos ad Chr. intramus. Enarr. in Ps. 86 (87), 2.

Filii Corachi: Imitatores passionis Christi (vid. supr. p. 17 s. v. קֹרַח). Enarr. in Ps. 87 (88), 1.

Cithara (quæ testudinem habet in parte inferiore): Opera, quæ patimur in gloriam Dei. Enarr. in Ps. 42 (43), 5. 56 (57), 9.

Psalterium (quod testudinem in parte superiore habet): Opera ex præcepto Dei facta. ibid.

Corpus (quia, ut anima corpore, sic citharista utitur cithara). Enarr. in Ps. 48 (49), 5.

Psalterium decachordum: decem præcepta Legis. Enarr. in Ps. 91 (92), 4.

Tubæ æneæ: Homines, qui proficiunt mala patiendo (quia tundendo fabricantur). Enarr. in Ps. 96 (97), 6.

Tubæ corneæ: Homines, qui libidines carnales vincunt (quia cornu carne firmius est). ibid.

Tympanum: Edomitio carnis (quia fabricatur corio siccato et extento). Enarr. in Ps. 67 (68), 26.

Cubile: Cor. Enarr. in Ps. 35 (36), 5. 103 (104), 22.

Torcularia: Ecclesiæ (sive quod ibi boni a malis segregantur, sive quod verbum divinum, in quo intellectus sono vocis inclusus est, ut uva vinaciis, pervenit ad aures, ut uva in calcatoria torcularium). *vel:* Martyria, quibus fideles quasi calcantur. Enarr. in Ps. 8. 1-3. 83 (84), 1.

Accedit alterum elementorum genus, *numerorum series*, in quibus solvendis componendisque non minor scholarum ecclesiæ antiquæ quam synagogæ judaicæ diligentia atque sedulitas erat; neque mirum hoc; etenim in numerando computandoque

ubi animus ad quantitatem unice attentus erat, liberrimus patebat arbitrio et lusibus ingenii campus; dum res maxime dispares totoque coelo distantes, modo numerorum aliqua convenientia erat, conferre inque unum conjicere commode licebat.[22])

II: aliquid boni indicant propter duo caritatis præcepta (in Deum et in homines). Tract. in Ev. Joh. 17, 6.

III: natura hominum incorporea: anima, mens, cor. Quæst. Evang. II. 6. — Trina abnegatio Petri errores hæreticorum designat, qui aut divinitatem Jesu aut humanitatem aut utramque negant. Qu. Ev. I. 45.

IV: natura hominum corporea, ex quatuor elementis composita. Qu. Ev. II. 6. — totus terrarum orbis (4 plagæ mundi, tempestates anni, vigiliæ diei). Enarr. in Ps. 49 (50), 3. de doctr. chr. II. 25.

V: Judæi sub lege (Pentateucho) positi (sic 5 fratres, Luc. 16, 28) — *v.* continentia quinque sensuum (sic 5 virgines prudentes). Enarr. in Ps. 49 (50), 3.

VI: numerus perfectionis (Hexaemeron). Tract. in Ev. Joh. 25, 6.

VII: natura hominum, ex anima (3) et corpore (4) composita. Quæst. Ev. II. 6. — Spiritus S. (ex Esai. 11, 2). Tract. in Ev. Joh. 122, 8.

---

22) Hoc vero est, quod Aug. dixit, suo modo loquens: "numerorum imperitia multa facit non intelligi translate ac mystice posita in Scripturis." de doctr. chr. II. 25. Neque alia erat origo et ratio usûs numerorum in scholis Pythagoræorum. Cf. Ritters Gesch. d. Pythag. Philos. S. 86, 87. 160.

VIII: dies judicii (peractis et numeris corporis (4) ɔ: ad Vet. T. pertinentibus, et animi numeris (3) ɔ: ad N. T.) Enarr. in Ps. 6, 2. — numerus perfectionis (7 + 1), sic circumcisio et resurrectio d. 8vo, sic in orat. mont. sententia octava hominem perfectum declarat (Matth. 5, 10). de ser. Dom. in monte I. 12.

X: Justitia et beatitudo (decalogus). de cons. Ev. I. 13. Ser. 51 n. 32.

XI: peccatum (quia uno excedit numerum Decalogi; ideo 11 vela cilicia tabernaculo superinjecta, Exod. 26, 7). Quæst. in Exod. n. 108. Ser. 51, 33.

XII: omnes undique congregati perfecti (4: plagæ mundi ⋊ 3: trinitas, sic Matth. 19, 28). Enarr. in Ps. 49 (50), 3. 59 (60), 1.

XV: concordia Veteris Test. (7: propter observationem Sabbati) cum Novo (8: propter resurrectionem Chr.) Enarr. in Ps. 89 (90), 10. 150. præfat.

XXV: Lex Mosaica (5 ⋊ 5). Tract. in Ev. Joh. 25, 6.

XXX: Legis per Evangelium impletio (5 ⋊ 6). ibid. — Sensualitas (5), quæ ætate sexta (ɔ: tempore Chr.) homines corrumpebat; sic 30 nummi Judæ. Quæst. Ev. I. 41.

XXXVIII: Languor et infirmitas (40 — 2 ɔ: perfectio Legis, deficiente virtute caritatis). Tract. in Ev. Joh. 17, 6.

XL: perfectio. (4: universitas rerum ⋊ 10: creator

(ɔ: trinitas (3) et creatura (7: anima et corpus). Sic jejunium Mosis, Eliæ, Christi per 40 dies, h. e. caste et continenter vitam degere. de doctr. chr. II. 25. — Matth. autem, dum numeravit in tab. genealogica 40 generationes præter Christum, indicavit vitam hominum mortalem, cui præsideret rex Christus. de cons. Ev. I. 9-11.

XLVI: origo hominum ex Adamo. (Scribitur enim litteris græcis: *α* (1) — *δ* (4) — *α* (1) — *μ* (40), quibus cum nomen Adami exprimitur, tum vero totus terrarum orbis indicatur (*ἀνατολὴ, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία*). Sic Joh. 2, 21: templum exstructum annis 46, h. e. Jesus corpus suum de Adamo habuit. Tract. in Ev. Joh. 10, 12.

L: merces virtuti addita (40 + 10), inde numerus Pentecostes, nisi malis intelligere dona Spiritûs S. missa post resurrectionem Chr. (7 ⋈ 7 + 1). Tract. in Ev. Joh. 17, 4. de ser. Dom. in monte I. 12.

LXX: totum vitæ tempus (quia omne tempus 7 diebus volvitur). Hinc exilium babylon. emigrationem hominum ex coelo in terram indicat. Enarr. in Ps. 125 (126), 1.

LXXII: discipuli, evangelium (3) per totum orbem nuntiaturi (orbis collustratur sole 24 horis) Quæst. Ev. II. 14.

LXXVII: omnia hominum omnium peccata (7 ⋈ 11). Ideo ap. Matth. 18, 22: 77ies condonandum. Lucas autem in stemmate genealog. 77 gene-

rationes numeravit, ut indicaret plenam peccatorum per Chr. remissionem. Quæst. in Exod. n. 108. Quæst. Ev. II. 6. de cons. Ev. I. 12. 13.

CL: ad num. 15 referendus (150 Psalmi). Enarr. in Ps. 150. præfat.

CLIII: Omnes Sancti, ad gratiam Spiritus pertinentes. 50 (numerus per Pentecosten sacratus) $\times$ 3 (tria tempora: ante Legem, sub Lege, sub gratia) + 3 (trinitas); — *vel:* 10 (Lex Mos.) + 7 (Spiritus sanctus), deinde: 1 + 2 + 3 .... + 17 = 153). de doctr. chr. II. 25. Tract. in Ev. Joh. 122, 8.

XXVI.

B. Interpretationes allegoricæ.

Apparatus figurarum quum talis tantusque adesset, qui infinita modorum varietate manibus versari et tractari poterat, nihil fere in Vetere Testamento scriptum, nihil a Jesu et apostolis dictum aut factum est, quin mysteria sive, quæ apud Augustinum dicuntur, sacramenta, allegoriis obvoluta,[23]) inesse viderentur, neque sententia ulla ita abstrusa et recondita est, ut ex verbis simplicissimis etiam compo-

---

[23]) "*Allegoria* dicitur, quum aliquid aliud videtur sonare in verbis, et aliud in intellectu significare." Enarr. in Ps. 103 (104), 3. "Una res multis modis significatur, quæ nihil horum est per essentiam, omnia per figuram; agnus non potest esse leo, leo non potest esse agnus. Dominus noster J. Chr. et leo potuit esse et agnus, sed quia neque leo neque agnus per essentiam, et leo et agnus per figuram." Ser. 4 n. 25.

nendo miscendoque elici et educi non potuerit.[24]) Quanta in his exercitiis agendis Augustini diligentia fuerit, quanta dexteritas, quævis fere librorum pagina docet, ut in tanta rerum copia difficile sit, in exemplis eligendis describendisque modum servare.

Ita *de evangelistis* ingeniose ludens has habet observationes: *Matthæum*, qui *regiam* personam Christi narrandam susceperit, Marcum habuisse tanquam breviatorem sibi adjunctum, quia regum est, non sine comitum obsequio esse, *Lucam* vero, qui *sacerdotis* in Christo personam descripserit, socium non habuisse, quia sacerdos in Sanctum Sanctorum solus intrat; — *deinde: Matthæum* in generationibus Christi deducendis *descendere* ab Abrahamo ad Jesum, ut significet, Christum descendisse ad vitam nostram regendam et peccata nostra suscipienda; *Lucam* vero *adscendere* a Jesu ad Deum ipsum, ut moneat, eum sacerdotis instar peccata nostra expiasse, nosque per adoptionem filios Dei fecisse; ideo Matthæum a Davide per Salomonem descendere, in cujus matre ille peccaverit, Lucam ad Davidem adscendere per Nathanem, per quem prophetam (sic!) Deus peccatum expiaverit; — *denique:* Matthæum significari per *leonis*, ferarum regis, figuram, Lucam per *vitulum*, propter victimam sacerdotis, Marcum per *hominem*, quia neque stirpem regiam ne-

---

24) "Domini facta non sunt tantummodo facta, sed signa; si signa sunt, præter id quod mira sunt, aliquid profecto significant; quorum factorum significationem invenire, aliquanto est operosius, quam ea legere vel audire." Enarr. in Ps. 37 (38), 6. 40 (41), 1.

que sacerdotalem commemorans, in iis versatur, quæ Christus homo passus est, Johannem per *aquilam*, quia super nubila infirmitatis humanæ evolat. (de cons. Ev. I. 6. 9. II. 11. 12).

Ad singula vero descendamus.

Gen. 1: *Sex dies creationis — sex ætates hominum:* primus dies (lux creata), *infantia* generis humani usque ad Noachum; secundus (firmamentum inter aquam et aquam, imago arcæ Noachi), *pueritia*, usque ad Abrahamum; tertius (terra separata a mari ɔ: Judæi a gentibus), *adolescentia*, usque ad Saulum; quartus (sidera ɔ: splendor regni judaici), juventus, usque ad exilium; quintus (animalia maritima et volatilia ɔ: habitatio Judæorum inter gentes, sedes incertæ et instabiles), *declinatio ætatis*, usque ad adventum Jesu; sextus ("producat terra animam vivam"), *senectus hominis* veteris, quam sequitur restauratio generis humani per Christum. Dies septimus: Chr. in gloria venturus, requiem hominibus afferens. de Gen. contr. Manich. I. 35-41.

Gen. 2: *Paradisus, vita beatorum v. ecclesia: Arbores,* disciplinæ utiles v. Sancti. *Fructus*, mores piorum. *Arbor vitæ*, sapientia v. Christus. *Quatuor flumina*, evangelia v. virtutes cardinales: Phison (qui aurum et lapides pretiosos adducit), prudentia; Gihon (Nilus, qui Æthiopiam calidam circuit (?)) fortitudo; Tigris (flumen Asyriorum, qui in S. Scr. sæpe ponuntur ut adversarii), temperantia; Euphrates (cujus cursus non indicatus est), justitia, quæ ad omnes animæ partes pertinet, ceterasque virtutes concorditer copulat. de Gen. contr. Manich II. 14.

Gen. 3, 24: Nemo ad vitam beatam pervenire potest, nisi per tolerantiam molestiarum *(frameam flammeam)* aut per plenitudinem scientiæ *(Cherubim)*. l. l. II. 35. 36.

— 9, 23: *Sem* et *Japhet* aversi nuditatem patris tegentes ɔ: *Judæi* et *Gentiles* memoriam passionis Christi peractæ celebrantes. de civ. D. XVI. 2.

— 25, 31: *Gentiles (Jacobus* ɔ: ecclesia de gentibus ventura) dimiserunt *idola (lentem*, qui cibus Ægyptiorum est), quæ *Judæi* (*Esavus*) exceperunt. Ser. 4 n. 12.

— 27, 16: *Jacobus* hoedos occidit ɔ: *Christus* peccatores coarguit; — *pelles* portavit ɔ: *peccata* aliorum patienter toleravit. Ser. 4 n. 19. 20.

— 27, 27: "ecce odorem *filii* mei, sicut odor *agri pleni*" ɔ: ecce *Christus* in mysterio interiore, et *ecclesia*, quæ omnes comprehendit. Ser. 4 n. 24.

Exod. 3, 2: Rubus igne flagrans ɔ: Duritia Judæorum, quæ Spiritui S. reluctabatur. Ser. 6 n. 2.

— 8: *Decem plagæ, commentarius in præcepta decalogi:* Aqua in sanguinem conversa ɔ: gloria Dei (quia ex aqua omnia generantur) in imaginem hominis mortalis mutata (præceptum 1mum); — ranæ ɔ: vanitas loquax (2d. præc.); — sciniphes ɔ: vana phantasmata cordis, quæ non sinunt hominem quiescere (3t. præceptum); — canum catuli coeci nascuntur, adeoque caninum est, non agnoscere parentes (4t. præceptum); — pecorum est concumbere et generare (5t. præceptum (sic)); — pustulæ ɔ: animæ homicidium spirantes (6t. præceptum (sic)); — grando fructus laboris perdit (7m. præceptum); —

Locusta mordendo nocet (8v. præceptum): — tenebræ ɔ: cupiditates pravæ (9n. præceptum); — mors primogenitorum: "in qua plaga quum comparationem quandam quæro, nihil mihi occurrit; fortassis occurrat melius diligentiusque inquirentibus." Ser. 8 n. 2-11.[25])

Num. 27, 13. 14: *Aaron* Mose prius mortuus ɔ: sacrificium et sacerdotium abrogata sunt; — per *Mosen* aliqua Palæstinæ pars occupata ɔ: præcepta legis mos. valent Christianis; — per *Josuam* Judæi in possessionem inducti ɔ: homines per fidem in Jesum salutem nacti. Quæst. in Num. n. 53.

Deut. 32, 49: "adscende in montem et morere." ɔ: perit dubitatio omnis, ex quo Chr. per resurrectionem magnus apparuit. Ser. 352 n. 5.

2 *Sam.* 11, 2: Jesus (*David*) amavit ecclesiam (*Bathsebam*), mundantem se a sordibus seculi, diabolum (*Uriam*) ab ea separatum occidit, eamque sibi perpetuo copulavit. contr. Faust. 22, 87.

1 *Reg.* 16, 3 ss.: *Judicium Salomonis:* Judæi et Gentiles, utrique sub peccato (*duæ meretrices*); illi Christum, natum secundum carnem ex Judæis, animo dormientes occiderunt, deinde clamantes, sibi debitum esse Evangelium; gentilibus autem ex gratia Dei concessum est. Ser. 10, 2. 3.

Prov. 31, 10 ss.: Ecclesia (*mulier*) plus valet quam doctores scientia et facundia præclari (*lapides pretiosi*), proficit inter tribulationes (*surgit noctibus*), seque ceteris imitandam præbet (*dat escam*

---

[25]) Cf. *Orig.* hom. 4 in Exod.

domui), conscientiam confirmat per opera anteacta (*lana* enim, postquam in colo involuta jacuit, deinde *in fusum transit*), laudat Christum et Deum et hominem (*duo pallia*), ornat se candida confessione (*bysso*) et gloriosa passione (*purpura*). Ser. 77 n. 8.

Psalm. 9 (10), 14: *Portæ mortis:* pravæ cupiditates v. sensus corporei. *Portæ Sion:* bona studia, per quæ pervenitur ad visionem pacis, v. sacramenta et initia fidei, quæ pulsantibus aperiuntur. l. l.

— 17 (18), 8-10: "Contremuere peccatores (*terra*), spes superborum (*fundamenta montium*) conturbatæ sunt; adscendit deprecatio (*fumus*) poenitentium; in quibus jam emortui erant ignes virtutis (*carbones*), hi revocati sunt; justi (*coelum*) humiliarunt se, sed impii, qui terrena sapiunt (*sub pedibus ejus*), Deum non cognoverunt." l. l.

— 18 (19), 6: "manifeste (in *sole*) Chr. per incarnationem habitaculum in terra posuit, procedens de utero virginali (*thalamo suo*)." l. l.

— 45 (46), 3: "*montes* concutiuntur in sinu *aquarum*:" Chr. et apostoli transferentur de populo Judæorum ad gentes. l. l.

— 54 (55), 18: *vespere:* in cruce. *mane:* in resurrectione. *meridie:* in adscensione. l. l.

— 67 (68), 15: "*nive* dealbabuntur in *Salmone:*" ex gratia candidi fient protectione corporis Christi (quemadmodum umbra (צֵל) constat corpore et lumine, sic Chr., qui verum lumen erat, caro factus est, ut umbra meridiana nobis esset), l. l.

— — 28: "*principes Zebulon et Naphthali:*" martyres, qui primum in ecclesia locum obtinent,

fortiter omnia sustinentes (Zeb. ɔ: habitaculum fortitudinis, vid. p. 26) deinde latitudinem s. liberationem (Naphth. vid. p. 22) accepturi. l. l.

Ps. 67 (68), 30: "*feræ calami*:" ii, qui, dum S. Scr. (calamo scriptas) pervertunt, aliis nocent. l. l.

— 80 (81), 1: "Psalmus *pro torcularibus quintâ* sabbati (?), ipsi Assaph:" Ps. de angustiis, quibus pii ab impiis discernuntur, hominibus baptismo ex aqua renatis (ex Gen. 1, 20: Deus dixit d. 5to: producant aquæ reptilia animarum vivarum), congregationi Sanctorum. l. l.

— 83 (84), 4: "*passer* invenit sibi domum, turtur *nidum*, ubi ponat pullos suos:" corde ad Deum evolamus, carne opera bona facimus, in fide cath. requiescentes. l. l.

87 (88), 1: "pro *choro* ad respondendum:" chorus martyrum, concordia caritatis junctus, sequitur Christum præeuntem. l. l.

— 101 (102), 7. 8: "*pelicanus* in solitudine:" Christus solus de virgine natus. "*Nycticorax* in parietinis:" idem crucifixus in nocte ignorantiæ. "*vigilavi:*" resurrexi. "factus sum ut passer singularis *in tecto*:" adscendi in coelum ibi habitans. l. l.

— 103 (104), 2-5: "extendit coelum ut *pellem*:" propagavit S. Scripturam per homines mortales (pellem), v. ad formam libri plicandam. "protegit *in aquis superiora* ejus" (!): tuetur supremum caritatis præceptum, per Sp. S. in cordibus diffusum. "ponit *nubes* adscensum ejus:" constituit doctores, ut adscendamus ad illam intelligendam. "ambulat super *pennas ventorum*:" verborum Dei ventis velo-

cius volat, v. amor Dei major est virtutibus animæ. "facit angelos suos *spiritus et ignem flagrantem*:" nuntios suos ad altiora convertit, eosque spiritu ferventes facit. "fundavit *terram super firmitatem ejus*:" fundavit ecelesiam super Christo. l. l.

Ps. 103 (104), 20-22: "Chr. novit passionem suam (*tenebras*); mortuo eo, deficit spes apostolorum (*nox fit*), et dæmones mali (*feræ et leones*) sæviunt; recipit vitam (*oritur sol*), atque hi ab ecclesia persequenda recedunt. l. l.

— 108 (109), 24: "*genua* mea infirmata sunt a *jejunio*:" qui fortis videbatur sibi, ubi panis vitæ (Chr.) defecit, fidem abnegarunt. "caro mea immutata est propter oleum:" discessi, ut donis Sp. Sancti discipulos perfunderem. l. l.

— 136 (137), 2: "in *salicibus* suspendimus *organa* nostra:" inter homines fatuos et steriles sacras Scr. differendo suspendimus l. l.

— 146 (147), 81: "cooperuit *coelum nubibus*:" contegit Scripturam figuris et sacramentis. l. l.

— 147 (148), 16: "dat *nivem* velut *lanam, nebulam* spargit ut *cinerem*:" ex hominibus pigris spiritu et frigidis, quos prædestinavit, faciet quasi vestem h. e. partem ecclesiæ, eosque ad poenitentiam vocabit." l. l.

Matth. 6, 34: "da nobis hodie *panem quotidianum*:" præcepta divina nobis hac in vita adsint. de ser. Dom. in monte II. 27.

— 16. 2: "serenum erit, nam *rutilat coelum* — tempestas erit, nam infeste *coelum rubescit*:" sanguine Chr. indulgentia peccatorum datur; secundo

adventu igne præcedente venturus est. Quæst. Ev. I. 20.

Matth. 17, 1 ss. *Transfiguratio.* Splenduit ut *sol:* significavit, se esse lucem mundi. *Vestimenta* Chr.: ecclesiæ. Discipuli ad terram *ceciderunt:* moriuntur. Dom. eos *erexit:* resurgunt post mortem. Neminem viderunt *præter Jesum:* post resurrectionem cessabit Legis et prophetarum auctoritas. Ser. 78 n. 2. 5.

— 18, 24: Servus, qui debebat *decem millia talentorum:* Homo, qui violavit decem præcepta legis, et pro cupiditate et operibus suis (*uxore et filiis*) poenas luit. Conservi: ecclesia, quæ eum ligat et solvit. Quæst. Ev. I. 25.

— 21, 2: *Asina:* plebs Judæorum non plane indomita, sed quæ præsepe Domini agnovit. *Pullus asini,* in quo nemo consedit: populus gentium, quæ Dominum non agnoverunt. Tract. in Ev. Joh. 51, 5.

— 23, 23: "excolantes *culicem*, *camelum* deglutientes:" Barabbam dimittitis, Jesum occiditis (culex, homicida seditiosus, qui inquietat et sanguine satiatur. Camelus humiliat se ad onera subeunda. Foramina acus: angustia passionum). Quæst. Ev. I. 35.

— 24, 32: "quum *ramus fici* tener est, scitis prope adesse æstatem:" quum homines per fidem Christi ad bonos fructus profecerint (ficus, genus humanum propter pruritum carnis). l. l. I. 39.

Luc. 5, 18 ss.: *Paralyticus* ad Chr. adductus: anima, viribus bene agendi destituta, quærit Chri-

stum, sed turbis impeditur, nisi mysteria S. Scr. sibi aperiantur; boni doctores eum, in fragilitate adhuc constitutum, ad cognitionem deducunt; tum ex somno evigilans, affectus animi continere discit. l. l. II. 4.

Luc. 8, 27 ss.: *Dæmoniaci* nudi inter sepulcra versantes: Gentiles, qui dæmonibus serviunt, sine fide (*vestimentis*), in conscientia (*domo*) non requiescentes, operibus mortuis (*sepulcris*) delectati, duris legibus civilibus (*compedibus*) constricti, his autem disruptis ruentes iu peccata ultra modum consuetum. l. l. II. 12.

— 8, 43 ss. *Mulier Cananæa:* Mulier, ecclesia ex gentibus. *Vestis* Jesu: apostoli. *Fimbria:* Paulus (ex 1 Cor. 15, 9: ὁ ἐλάχιστος τῶν ἀποστολῶν), quippe apostolus gentium. Scr. 77 n. 8.

— 10, 30 ss.: *Samaritanus misericors:* Adamus jacturam fecit pacis coelestis (*descendit Hierosolymâ*), delapsus ad mortalitatem (*Jericho*: *luna*-*mortalitas,* p. 20. 221.), incidit inter diabolum et angelos ejus (*latrones*), qui eum immortalitate (*vestibus*) despoliarunt, peccata ei suaserunt, cognitionem unice Dei ei relinquentes (*semivivum*). Sacerdotes V. T. ad salutem prodesse non potuerunt, sed Dominus (*Samaritanus*: *custos*, p. 23) cohibuit peccata, solatium (*oleum*) affudit et exhortationem (*vinum*), effecit fidem in incarnationem ipsius (*imposuit jumento*), refecit hominem in ecclesia (*stabulo*), reliquit duo præcepta caritatis, rediturus ad resurrectionem. Quæst. Ev. II. 19.

Luc. 10, 4: nolite fieri sapientes apud vosmet ipsos (*sacculus*, sapientia occulta), et renuntiate operibus mortuis (*calceamentis*, ex coriis mortuorum). Ser. 101 n. 6. 7.

— 11, 11 ss. *Pater preces filii exaudiens: Panis*, caritas (præ omnibus rebus necessaria). *Piscis*, fides (propter aquam baptismi). *Ovum*, spes (foetus nondum perfectus). *Lapis*, duritia cordis. *Serpens*, fallacia. *Scorpio*, animus retro respiciens (quia aculeus scorpionis retro timendus est). Quæst. Ev. II. 22.

— 13, 7 ss. *Hortulanus ficum fovens: Arbor ficulnea:* genus humanum (quia Adamus et Eva foliis ejus se contexerunt). *Triennium:* tria tempora: ante legem, sub lege, sub gratia. *Fossa:* poenitentia. *Sordes:* dolores poenitentium. Ser. 110 n. 1.

— 14, 19: *quinque juga boum*: *quinque sensus* — boum: quia terrena quærunt, *boves* autem terram arando versant; *juga:* quia gemini sunt (oculi, aures nares, in gustando lingua et palatum, in tactu intrinsecus et extrinsecus). Ser. 112 n. 3.

— 15, 20. *Reditus filii deperditi. Stola prima:* dignitas, quam perdidit Adamus. *Servi:* doctores evangelii. *Annulus:* pignus Spir. S. *Calcei:* præparatio ad evang. admittendum, dum pedes non attingunt terram. *Vitulus:* Dominus opprobriis satiatus. Quæst. Ev. II. 33, 5.

Luc. 18, 35 cf. Matth. 20, 30: Jesus *unum* coecum vel *duos* (ex Matth.) sanans. Jesus, ad mortem (*Hierichuntem*) accedens (ex Luca), lucem evang. *solis Judæis* obtulit, a morte regressus (*Hierich. egressus*, ex Matth.), *et* Judæis *et* gentilibus. l. l. II. 48.

Luc. 17, 35: *ducæ molentes* et *duo in agro:* homines qui, dum ab aliis reguntur (ideo *feminæ*), in orbe negotiorum temporalium aguntur, — alii, qui in ministerio ecclesiæ tamquam in agro Dei operantur. Quæst. Ev. II. 44.

— 19, 3. *Zacchœus* sycomorum adscendit: cruci Christi confisus est (*sycomorus* ex etymol ficus fatua, cf. 1 Cor. 1, 23: ὁ ϛαύρος μωρία). Ser. 174 n. 4.

— 22, 41: "avulsus est ab iis, quantus *jactus* est *lapidis:*" ita eos admonere voluit, ut ad eum perducerent intentionem Legis, quæ scripta erat in lapide. Quæst. Ev. II. 50.

— 23, 11: Milites clamyde Jesum induentes: Hæretici, negantes Jesum habuisse verum corpus (*propriis vestibus* eum exuentes), ei fictum (*vestem fucatam*) tribuerunt. Quæst. Ev. II. 51.

Joh. 1, 39: "*Hora decima* erat:" tempus aderat, quo Lex (10 præcepta) per amorem implenda esset. Tract. in Ev. Joh. 7, 10.

— 1, 48: Nathanael sub *ficu* ɔ: sub peccato et umbra mortis. l. l. VII. 21.

— 2, 1 ss. *Nuptiæ Canenses.* Jesus homines, qui aqua erant, *vinum* fecit (*sapientes*), implendo prophetias (*sex hydrias*), quæ aderant per sex hominum generationes: Adam., Noach., Abr., Dav., Exil. bab., Joh. Bapt., dictæ quidem omnibus hominibus, his vero indicatis per duo genera hominum (Judæos et Gentiles), vel tria, ex tribus filiis Noachi (hydriæ, capientes *binas vel trinas metretas*). l. l. 9, 6. 17.

— 4, 16. 18: Jesus *mulieri Samaritanæ:* adhibe intellectum (voca *maritum*), per quem docearis;

antea sivisti te sensibus duci et rapi *(quinque maritis)*; ex quo vero ad ætatem rationis venisti, non ad sapientiam pervenisti, sed in errore versaris (quem dicis esse, *non est maritus tuus*). l. l. 15, 19-22.

Joh. 5, ss. *Piscina in Bethesda:* populus israel. *quinque porticus:* pentateuchus. *Aqua turbata* per angelum latentem: peccatores a Jesu vi invisibili conturbati. Tolle *grabbatum:* portate invicem onera vestra. *Ambula*, sc. ad Deum, amore ductus. l. l. 17, 3. 4. 9.

— 6, 9 ss. 5000 *homines:* Israelitæ. discumbentes in *foeno:* studiis carnalibus occupati. *quinque panes* hordeacei: pentateuchus (ad medullam hordei propter tenacitatem paleæ ægre pervenitur). *duo pisces:* sacerdos et rex, qui unctionem acceperunt. Chr. fregit panes et *multiplicavit:* disserendo argumentum uberrimum explicavit. *Fragmenta:* Loci secretiores. *duodecim cophini:* apostoli, quibus illi reservati. l. l. 24, 5. 6.

— 6, 16 ss. *Jesus tempestatem cohibens:* Errores et iniquitates ante adventum Jesu creverunt cum clamoribus maleficorum *(ventis et tempestatibus)*; venit tandem ad Judæos legem observantes *(stadia* 25-30), omnes tumores mundi, ambitiones seculi deprimens *(fluctus* calcans). l. l. 25, 5. 7.

— 9, 6 ss. *Coecus sanatus:* Coecus: genus humanum. *lutum de saliva:* verbum caro factum est. *Lotus* in piscina: baptizatus in Christum. *Inunctus* sputo et luto: catechumenus factus. l. l. 44, 2.

— 11, 17: *Lazarus quatuor dies* in sepulcro: quatuor sunt hominibus dies mortis: unus, quod

homo cum morte nascitur, alter, quod legem insitam naturâ violat, tertius, quod legem scriptam, quartus, quod Evangelium. l. l. 49, 12.

Joh. 11, 3: *Lazarus redivivus:* homo, qui reus fuit sub lege (*lapidibus scripta*), liber evadit (*ex sepulcro lapideo*); prodit vocante gratiæ voce, prodit confitens sed reus (*ligatus fasciis*), donec Jesus jubet eum solvi. l. l. 49, 19-24.

— 12, 3. Unguentum *pisticum* h. e. justitia efficitur *per fidem.* l. l. 50, 6.

— 19, 33: *pallium* quadripartitum: ecclesia per omnes terræ partes æqualiter distributa. *Tunica:* omnium partium unitas, quæ vinculo caritatis continetur, dirigente gratia Dei (*sortitione*). l. l. 118, 4.

— 19, 29, *Acetum:* Judæi, degenerantes a vino patriarcharum et prophetarum, tanquam de vase pleno, de iniquitate hujus mundi impleti, cor habentes velut spongiam, tortuosis latibulis frandulentum. "*Sitio:*" implete, si quod contumeliis et injuriis deest. Hyssopus: Jesu humilitas ad mortem usque perseverans. *Arundo:* Scriptura S. (arundine scripta) passione Christi impleta. l. l. 119, 44.

— 19, 38. 39: *Josephus* et *Nicodemus* Jesum sepelientes: Jesus moriendo *auctus est* (vid. p. 20), et populum persecutorem *vicit.* Ser. 218 n. 15.

— 21, 3 ss. *Septem discipuli et littus:* finis seculi. Piscatura, quæ *initio prædicationis* facta erat (Luc. 5), ostendit ecclesiam adhuc ex bonis et malis compositam; ideo rete disruptum, h. e. eccl. *schismatibus turbata;* hîc vero piscatio *port resurrectionem* facta, retibus integris in partem dexteram ex-

tractis, indicat *ecclesiam purgatam.* Tract in Ev. Joh. 122, 6. 7.

Eph. 3, 18: *dimensiones crucis*, figurate intelligendæ: *latitudo*, caritas. *longitudo*, perseverantia. *altitudo*, meditatio religiosa. *profunditas*, mysterium inexscrutabile. Ser. 165 n. 4. 5. Ep. 55 n. 25.

Talia vero legendo quis tandem negaverit, Augustinum, dum imperitiæ succurrere artibus ingenii voluit, in pejora etiam incidisse; si pejus est, sensum, qui ab oratione alienus est, fingere, quam eum qui intus est non recte assequi. Ita verum est, ingenii fertilitatem, nisi solerti studiorum disciplinâ temperata, idonea doctrinæ supellectile adornata sit, spinas sæpe et carduos ferre. Verum hoc tamen monendum est, argutias illas, quibus Augustinus non tam errasse quam errores intulisse dicendus est, minoris plerumque esse momenti; etenim, quæ in nominibus et numeris, in rebus historicis et chronologicis, in titulis librorum, in parabolis et figuris poeticis ludendo confinxit, incepte satis et ridicule nonnunquam finxit, ita vero ut ad cardinem doctrinæ, ad medullam religionis parum aut nihil pertineant.

2.

Curæ interpretationis dogmaticæ.

XXVII.

Analogia S. Scripturæ bene observata et in usum conversa.

Quum omnis S. Scripturæ interpretatio eo denique tendat, ut ipsa doctrina christiana ex verbis

integra et genuina prodeat, jure nostro ante monuimus (p. 166), accuratam in singulis explicandis pluribusque locis inter se conferendis diligentiam nondum sufficere — nam ita si res esset, acribeia philologica, historica, logica faceret theologum — sed animum requiri spiritu evangelii tinctum et imbutum, genio ejus affinem etiam et cognatum, fide jam antea ex præviis litterarum sacrarum studiis concepta; sic tandem fieri posse, ut singula quæque indoli religionis convenienter intelligantur.

Hæc vero ea est *S. Scripturæ analogia*, quam supremam interpreti normam esse contendimus, quippe quæ non arte vel auctoritate humana composita sit, sed simplici, sincera, pia et cordata verbi divini exploratione ultro se præbeat. Hæretici et Schismatici autem legem illam parum plerumque curantes, in uno alterove loco ita immobili pede hærebant, ut, quicquid adversus vel aliter scriptum est, perfide vel temere silentio præterirent; cum iis vero bene et feliciter ab Augustino rem actam esse videmus, quoties ex harmonia librorum sacrorum accuratius instituta summam doctrinæ pleniorem et fideliorem effecit. [26])

---

[26]) Hoc fere est, quod dixit *Lutherus* (über die Ausleg. der letzten Worte Dav. III. S. 2783): "Wenn es sollte Wünschens u. Wählens gelten, entweder dasz ich S. Augustini u. der lieben Väter *Verstand in der Schrift* sollte haben, mit dem Mangel, dasz S. Aug. zuweilen nicht die rechten Buchstaben oder Worte im Hebr. hat, oder sollte der Juden gewisse Worte u. Buchstaben ohne S. Aug. u. der Väter Verstand, ist gut zu rechnen, wozu ich wählen würde: ich liesse die Juden mit ihrem Ver-

Ita in *Arianis* comprobat et laudat, quæ ex multis S. Scripturæ locis (Joh. 5, 19. 6, 38. 8, 54. 9, 4. 14, 10. 28. 20, 17. 1 Cor. 11, 3 al.) de natura Christi humana Deoque inferiore disputarunt, hoc unum reprehendens, quod in illis totam veritatem contentam absolutamque dixerunt: illis quippe alia multa testimonia opponi posse, quibus divina in Christo gloria et majestas Patris æqualis celebretur (Joh. 1, 1. 10, 30 al.); quid! quod disertis verbis ab auctoribus sacris distinctum esse duplex hac de re dicendi genus.[27]) Quare ne illi repugnare sibi videantur, veritate ab una tantummodo parte considerata, interpretis esse locos omnes ac singulos per-

---

stande u. Buchstaben zum Teufel fahren, u. führe mit S. Aug. Verstande ohne ihre Buchstaben zum Himmel." Einl. zur Lect. über Esai. (VI. p. 12): "Augustinus, ob er wohl die Grammatik nicht verstanden, und daher des rechten Verstandes öfters verfehlet, jedoch, weil er der Historie fleizig nachsehet und dieselbe gut inne hat, so bleibet er bey der Aehnlichkeit des Glaubens. Das Gegentheil siehet man an Hieronymo; dessen Erkenntnisz in der ebräischen Sprache war grosz genug; weil er aber gleichwohl die Historie etwas kaltsinnig abhandelt, so gehet er oft allzu sehr von der Regel des Glaubens ab."

[27]) de Trin. I. 13. 22: "Non immerito Scriptura *utrumque dicit*, et æqualem Patri Filium, et Patrem majorem Filio; illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi sine ulla confusione intelligitur. Et hæc nobis regula per omnes s. Scripturas disolvendæ hujus quæstionis ex uno capitulo epistolæ Pauli (Phil. 2, 6) promitur, ubi manifestius distinctio ista commendatur; — quapropter, *cognita ista regula, non conturbabimur tanquam contrariis ac repugnantibus inter se sanctorum librorum sententiis.*"

lustrare, atque typum doctrinæ ex omnibus compositum fidelibus offerre.[28])

Multa cum *Donatistis* etiam ex rationibus exegeticis disputata sunt. Quod de incorrupta ecclesiæ sanctitate contendebant: eam ex hominibus castis et innocentibus adeo compositam esse debere, ut impii quique ex sinu ecclesiæ ejiciendi essent, neque ullâ disciplinæ vitæque poenitentiâ in societatem fratrum recipiendi — probare conati sunt ex Sacra Scriptura, quæ sæpissime (Ps. 25, 4. Es. 52, 11. Jer. 23, 28. Matth. 7, 23. 18, 17. 1 Cor. 5, 11. Eph. 5, 11. 1 Tim. 5, 22 al.) homines jubet, ut lues peccatorum evitetur, usum et consuetudinem impiorum fugere, neque ulla cum iis consilia inire. Huic autem nimiæ severitati Augustinus *primum* ita occurrit, ut illa non tam de societate externa dicta esse moneat, quæ evitari non semper possit, quàm de consensu animi et consiliorum communione, hanc vero effugi posse salva ecclesiæ pace ac unitate; *deinde* ex aliis locis adductis constare docet (Matth. 13, 24. 18, 22. 2 Cor. 2, 6 ss. 2 Tim. 2, 25 s.), disciplinæ rigorem humanitate temperatum esse debere, ut poenitentibus spes in ecclesiam redeundi pateat.[29]) — Illam vero sanc-

[28]) Tract. in Ev. Joh. 18, 3. 4. 36, 9. 37, 6. 43, 13. 48, 8. 59, 2. 71, 2. 78, 2. 3. Ser. 126, 8. 135, 2. 3. contr. serm. Arian. c. 6. 8. contr. Maximin. I. 9. 8. de Trinit. I. 12-16. II. 2.

[29]) de unico bapt. n. 14. 24. Brevic. collat. c. Donat. n. 18. contr. Epist. Parmen II. 39: "non communicare est non consentire; sed hæc salva pace facienda sunt, et quantum admittit officium conservandæ unitatis." III. 12-27: "Qui non vult sedere in concilio vanitatis, non evanescat typho superbiæ, quærens conventicula justorum a

titatem perfectam Donatistæ in ecclesia catholica amissam esse docuerunt, ex quo nimium de disciplinæ severitate remissum esset, neque nisi in societate sua superstitem esse, ut ecclesia vera extra fines Africæ nusquam floreret. In cujus rei fidem mirum est, quænam ex S. Scriptura testimonia arcessierint; ex Luc. 13, 23 constare quippe dixerunt, exiguum hominum numerum salvum futurum esse; hunc vero in regionibus Africæ quærendum esse, prædictum esse voluerunt in Cant. 1, 6 ("indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes *in meridie*") et in Habac. 3, 3 ("Deus ab *Austro* (*Africo*) veniet, et Sanctus de monte Pharan"). Quibus inepte et insolenter sic argutantibus Augustinus cum accuratam opposuit illorum locorum interpretationem, quibus abusi sunt,[30]) tum vero ea quæ ab ipso Jesu dicta sunt de Evangelii doctrina populis omnibus communiter destinata (Matth. 8, 11. 28, 19. Luc. 24, 47. Act. 1, 8 al.) unde sine insigni impietate contendi non possit, ecclesiæ veritatem intra angustos unius provinciæ fines restrictam esse.[31]) — Cum his prox-

totius orbis unitate separata, quæ non potest invenire. Non quærat quis separatos justos, sed cum ipsis potius in malorum temporali commixtione concorditer gemat." ad Donat. post collat. n. 8. 12: "manifestum est, distinguenda esse tempora ecclesiæ: non eam nunc esse talem qualis post resurrectionem futura est; nunc malos habere permixtos, tunc omnino non habituram."

30) Sic recte observavit, verba ex Cantico Canticorum adhibita non a pastore dilectæ, sed ab amasia dilecto dicta esse, ideoque ad ecclesiam referri non posse.

31) contr. Ep. Parmen. I. 21. de unit. eccl. n. 40. 43. 51. contr. Crescon. III. 75. contr. Gaudent. II. 4. Ser. 46, 36-40. 88, 21. 22. 138, 9. 10.

ime conjunctum est, quod isti de sacramento baptismi docebant: juste et legitime eum nonnisi a puris castisque manibus h. e. a sacerdotibus suis ministrari, pendere autem a sanctitate ministrantis vim et auctoritatem sacramenti, ideoque, si quis in ecclesia catholica lavacrum sacrum acceperit, iterationem ejus ad salutem necesariam esse. Quod quidem ex litteris sacris ita probare conati sunt, ut ad effata frequentiora provocarent, quibus sacerdotes lustrare se et sanctificare jubentur, sacrificia autem et preces manibus labiisque impuris oblatæ detestationi Jehovæ esse dicuntur (Exod. 19, 22. Prov. 21, 27. Joh. 9, 31 al.), neque non ad verba Jesu de arbore bona fructus bonos, de mala malos ferente (Matth. 7, 17. 18); neque dedignati sunt verba quædam de fontibus et unguentis poetice dicta inepta interpretatione ad baptismum trahere.[32]) In his omnibus Augustinus non solum significationem veram et genuinam, a Schismaticis obscuratam, luculenter exhibet, sed exempla objicit Bileami (Num. 24), cujus preces auditæ a Jehova fuerint,[33]) et Jesu, qui baptismum a Johanne, ministro subdito sibi, petiit; unde constare docet, vim sacramenti salutarem a virtute sacerdotis

---

32) *Psalm.* 140 (141), 5: "oleum peccatoris non impinguet caput meum," ex LXX de oleo convivali. *Prov.* 5, 15: "bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui," ex imagine solita de castitate matrimonii justi et legitimi.

33) contra Ep. Parmen. II. 17: "verba bona, quæ pro populo dicuntur in precibus, etiamsi a malis dicantur episcopis, exaudiri tamen, non pro perversitate episcoporum, sed pro devotione populorum."

non pendere, sed ipsi ritui inesse, modo juxta fidei regulam omnia observata fuerint.[34])

Neque in quæstionibus iis, quæ cum *Pelagianis* agitatæ sunt, exempla desunt, quanta fuerit diligentia Augustini in doctrina christiana ex singulis Jesu apostolorumque dictis concinnanda; dabimus brevi conspectu proposita ea, quæ in libro aureo "de gratia et libero arbitrio" de hac doctrina, difficili præ omnibus et spinis obsita, via exegetica disputata sunt;[35]) extremis tantummodo lineis adumbrata, sed ipsis auctoris verbis descripta dabimus:

1) "Revelavit nobis per Scripturam S. Deus, esse in homine *liberum voluntatis arbitrium*, quia ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret; deinde tam multa mandata sunt, quæ ipsam quodammodo nominatim conveniunt voluntatem. Quando autem dicit homo: non possum facere quod præcipitur, quoniam concupi-

---

[34]) contr. litt. Petil. II. 237. Ser. 292, 5 ss. Epist. 108, 6 contra Ep. Parmen. II. 10-15. 24: "si minister fictus est, Sp. S. deest quidem saluti ejus, ut auferat se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu; ministerium tamen ejus non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum." (ex 1 Cor. 9, 17: "Si volens hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est").

[35]) Constat vero ex Ep. 215 ma, librum illum oppositum esse monachis quibusdam Adrumeticis, qui ipsa Augustini auctoritate adducti sunt ut negarent, homines secundum opera sua olim judicandos esse; ita quum ad usus et rationes vitæ descenderet, necessitate se coactum vidit, ut de severitate, qua libertatis usum contra Pelagianos negabat, aliquantulum remitteret.

scentiâ meâ vincor, jam quidem de ignorantia non habet excusationem; et utique cui dicitur: noli vinci — arbitrium voluntatis ejus sine dubio convenitur, velle enim et nolle propriæ voluntatis est.[35]) — 2) Sed metuendum est, ne ista omnia divina testimonia sic intelligantur, ut ad vitam piam et bonam conversationem adjutorio et *gratiæ Dei* locus non relinquatur, ut audeat miser homo, quando bene vivit et bene operatur, non in Domino gloriari. Ut fiat (præceptum), adjuvat gratia; quæ nisi adjuverit, nihil Lex erit nisi virtus peccati; augetur enim concupiscentia et majores vires accipit Lege prohibente, nisi adjuvet Spiritus gratiæ; ergo et victoria, qua peccatum vincitur, nihil aliud est quam donum Dei in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium. — 3) Testimoniis divinis probatur, gratiam Dei *non secundum merita nostra* dari, quandoquidem non solum nullis bonis, verum etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, et quotidie dari videmus. Sed plane quum data fuerit, *incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen*; nam si se illa subtraxerit, cadit homo. Ideo necessarium est homini, ut gratiâ Dei non solum justificetur impius i. e. ex impio fiat justus, sed etiam,

---

[35]) Quid vero! idem Aug. vehementer Pelagianis objecit: hominibus esse "arbitrium ad peccandum, non ad pie vivendum" (de spir. et litt. n. 5. contra duas epp. Pelag. II. 5); — est inconstantia certe, sed quæ laudari debet, dum ipse sic docuit exemplo, errare vel saltem non veritatem totam et integram attingere, qui systemata in religione pangant, simplicitate evangelica relicta usuque vitæ practico neglecto.

quum fuerit jam justificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, et incumbat super ipsum ne cadat. Si Pelagiani merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia; quoniam vero merita humana sic prædicant, ut ea ex semet ipso habere hominem dicant; rectissime respondet apostolus: quid habes, quod non accepisti? — 4) Sed dicit apostolus, Deum unicuique reddere *secundum opera ejus*; si autem vita æterna bonis operibus redditur, quomodo gratia est vita æterna, quum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur? Illa quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus, et ipsa opera bona nostra, quibus vita æterna redditur, ad Dei gratiam pertinere; itaque sine dubio et vita æterna Dei gratia est, et ipsa etiam gratis datur, et vero, quoniam præmium ejus est, *gratia est pro gratia*, tanquam merces pro justitia."

Accedant denique ex libro *de fide et operibus* observationes de vera interpretatione eorum, quæ in litteris sacris hac de re disputata sunt: 1. "Laudibus summis effertur fides in Christum, inprimis a Paulo, qui docet hominem per fidem justificari sine operibus. — 2. Hæc difficilius dicta sunt, ut prave intelligi queant, et a multis cum magno pietatis detrimento intellecta fuerint, quod observavit jam in secunda epistola Petrus. — 3. Explicatio vero petenda est ex plurimis Jesu et apostolorum, Pauli etiam ipsius verbis, qui uno veluti ore præcepta morum iterum iterumque repetunt, docentes, fidei profes-

sionem sine operibus bonis nihil prodesse.[36]) — 4. Paulus et Jacobus verbis igitur, non ipsa re differunt; hic enim de operibus loquitur, quæ fidem sequntur et sequi debent, ille de operibus, quæ fidem præcedunt, hoc docens, hominem posse per fidem justificari, etiamsi opera legis non præcesserint. — 5. Fides quæ in Scriptura sacra commendatur, fides evangelica et salutaris est, cujus opera ex dilectione ultro procedunt; ideoque eam apostoli prius insinuant, quod in homine ipso, nisi adsit fides, vita bona sequi non potest; hæc enim a vera fide ita inseparabilis est, ut fides ipsa vita honesta omnibusque virtutibus insignis sit."

XXVIII.

Animus præceps ad sententias privatas auctoribus sacris obtrudendas.

Quid vero — dixerit fortasse aliquis — Augustinus ille, in quo sobriam et circumspectam inter-

---

[36]) ad 1 *Cor.* 3, 15 ("si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem"): "Quidam ita intelligendum putant, ut qui, quum fidem habeant, male operantes, per quasdam ignis poenas possint purgari ad salutem percipiendam. Si ergo innumerabilia, quæ per omnes Scripturas sine ambiguitate dicta reperiri possunt (de necessitate bonorum operum) falsa sunt, poterit verus esse ille intellectus. *Sed quia hæc apostolica manifestissima et apertissima testimonia falsa esse non possunt, illud quod obscure dictum est sic intelligendum est, ut his manifestis non inveniatur esse contrarium; — apertissime Scriptura testatur, nihil prodesse fidem, nisi eam quam definivit apostolus, quæ per dilectionem operatur, sine operibus autem sal-*

pretandi diligentiam, cordatam temperantiam sui magnifice laudas, nonne is est, qui subtilitatis Scholasticorum caput et princeps deinde exstitit, ingenii quippe viribus ita confisus, ut religionis mysteria quæque, arcana etiam consilia Dei definire verborum formulis auderet, neque decreta qualiacunque sua — a quibus meditationis sobrietas et modestia pietatis pariter abhorrent — ad libros sacros referre dubitaret? Et equidem, hoc dictum sæpissime esse, probe scio, et — ut quod sentio ingenue dicam — haud immerito dici, mihi persuasum est. Primum enim tantum abest, ut in interpretando in ea fidei analogia semper subsistat, quam divina auctoritas ultro exhibet, ut ad eam sæpe confugiat, quæ decretis ecclesiæ nititur, verbum divinum humanis oraculis submittens (cf, p. 158); *deinde* vero nondum temporibus istis systema orthodoxiæ perfectum absolutumque erat, quid! quod in iis omnibus, quæ naturam humanam et ordinem salutis spectant, ex Augustino formam et auctoritatem postea accepit. Sic itaque factum est, dum certam interpretandi regulam quærebat, ut specie deceptus in suas qualescunque sententias privatas incideret, easque deinde ceu unice orthodoxas sacris libris inferret. Exempla hujus rei luculentissima libri offerunt adversus Pelagianos scripti, in quibus sententiæ de natura humana, de ratione salutis per Christum recuperatæ deque prædestinatione divina viâ exegeticâ uberius tractantur. Ipsa vero dogmata Augustiniana non hujus

vare non posse." de octo Dulcit. quæstion. n. 4. 5. 6. 11. de fide et oper n. 22. 26. de fide spe et carit. n. 18.

loci est recensere,[37]) sed ut in re exegetica maneamus, exempla quædam interpretationis dogmaticæ delibabimus, in quibus justam Sacræ Scripturæ analogiam cum magno veritatis dispendio neglectam videbimus.

Et primum quidem verba in Pauli in loco Rom. 5, 12 ("*in quo* omnes peccaverunt") ita "circumspecte et proprie et sine ambiguitate"[38]) dicta existimat, versione latina deceptus, ut eorum auctoritate disputationes finiri jubeat; certum quippe esse, in primo homine nos omnes ita inclusos fuisse, ut *omnibus et crimen et supplicium damnationis* (Rom. 5, 15 ss.) *cum illo communia sint*[39]) (jure seminationis et germinationis); cujus quidem rei documento esse ærumnas et calamitates plurimas, quæ a primo inde die mortales hac in vita excipiant.[40])

Monentibus vero, in istis hominum futurorum seminibus non fuisse peccandi voluntatem, igitur neque culpam adfuisse neque poenam admitti posse,

---

[37]) De his illustrandis æstimandisque optime promeruit auctor doctissimus, cujus nomen sæpius excitavi, *Wiggers*: Vers. einer pragmat. Darstell. d. Augustinismus u. Pelagianismus. 1821.

[38]) de pecc. mer. et remiss. I. 10.

[39]) Op. imperf. c. Jul. V. 12: "*fuerunt omnes ratione seminis in lumbis Adam, quando damnatus est, et ideo sine illis damnatus non est*, quomadmodum fuerunt Israelitæ in lumbis Abrahami, quando decimatus est, et ideo sine illis decimatus non est." II. 63. 163. IV. 104. contr. duas epp. Pelag. IV. 7. de civ. D. 13, 14. Retract. 1, 10. 15.

[40]) Op. imperf. c. Jul. I. 49. 50: "jugum grave impositum esse filiis Adam ex die nativitatis suæ, quod cum justitia divina constare non posse, nisi peccata, cum quibus nascerentur, in iis inveniret."

objiciuntur *exempla ex historia Jsraelitarum*, propter peccata singulorum homines innocentes, sive mulieres et parvulos sive populos integros, supplicio mortis et cruciatuum traditos fuisse (Gen. 7, 21. 9, 25. 19, 25. 20, 18. Exod. 20, 5. Jos. 7, 24. 10, 40. Jer. 38, 18 al.); unde evictum esse docet, aliam esse Deo, aliam hominibus in judicando legem, *ut homines justitiâ divinâ sæpe non suis, sed alienis peccatis plectantur*;[41]) sic igitur peccata, quæ singuli de parentibus trahant, non immerito ipsorum propria dici, et debita supplicia afferre.[42])

Ex locis deinde Joh. 8, 36. Rom. 6, 20. 7, 14 ss. 2 Cor. 13, 7 al. constare docuit, non solum fragilitatem insitam cunctis hominibus esse, quæ sine gratia Dei boni nihil agi atque perfici sinat (vid. p. 197), sed eam, contagio quasi ex peccato Adami contracto, talem tantamque esse, ut *homines, obnoxii malo, arbitrio libertatis uti nonnisi ad peccandum possint*; homines igitur infideles, h. e. quotquot Evangelio etiam sine culpa sua careant, neque boni quid-

---

41) contr. Jul. III. 57. V. 1. 82. Op. imperf. c. Jul. III. 12: "Hoc præceptum dedit hominibus judicantibus, ne pater pro filio vel filius pro patre moreretur, quum reus tantummodo pater inventus esset aut filius; ceterum judicia sua Deus, sive quum per se ipsum, sive quum per homines judicat, non alligavit hac lege."

42) Op. imp. c. Jul. IV. 116; "recte dicitur, esse sine voluntate peccatum, quia manet, quamdiu non remittitur, etiam desistente voluntate qua factum est." de corrept. et grat. n. 9: "peccata originalia ideo dicuntur aliena, quod ea singuli de parentibus trahunt, sed *non sine causa dicuntur et nostra, quia in illo uno omnes peccaverunt*."

quam efficere neque gratiam ullo modo apud Deum inire posse.[43])

Gratiam vero divinam quod attinet, Augustinus in Marc. 16, 16, Joh. 3, 5. Rom. 6, 3. 15, 16. 18. Tit. 3, 5. 1 Pet. 3, 21 omnia, quæ de salute dicuntur per baptismum et fidem et Spiritum sanctum consequendâ, ita explicavit, ut *fidem et Spiritum s. necessario et immediate adesse doceat, ubi lavacrum baptismi adhibitum fuerit*, per aquam igitur cruce signatam peccata omnia dilui.[44]) Imovero, quicquid de vi et efficacia baptismi scriptum est, ad parvulos etiam baptizatos simpliciter transferre voluit: quippe, quum ipsi credere per se non valeant, pertinere ad eos fidem illorum, a quibus gestentur, ut horum fide adjuti vitam æternam sor-

---

[43]) contr. duas epp. Pelag. II. 2. 5: "Liberi a justitia non fiunt, nisi arbitrio voluntatis, liberi autem a peccato, nisi gratia Salvatoris." contr. Jul. III. 12. Op. imperf. c. Jul. III. 112. VI. 12. de corrept. et grat. n. 1. 2: "gratia Dei per J. Chr., qua sola homines liberantur a malo, et sine qua nullum prorsus sive cogitando sive volendo et amando sive agendo faciunt bonum." c. Jul. IV. 32: "Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse sed illius qui bene utitur malis; ipsorum autem esse peccata, quibus et bona male faciunt; — et ideo Deus istas arbores non potest diligere, et si tales permanserint, disponit excidere, quia sine fide impossibile est placere."

[44]) contr. Jul. VI. 10. 62: "Signo crucis consecratur unda baptismi, ut eâ diluatur reatus tanquam in chirographo scriptus, cui nascuntur obnoxii omnes in carne de carne carnaliter nati." contr. duas epp. Pelag. III. 5: "baptismus abluit omnia, prorsus omnia factorum, dictorum, cogitatorum sive originalia sive addita, sive quæ ignoranter sive quæ scienter admissa sunt."

tientur.[45]) Neque hoc solum, sed si infantes recens nati moriantur, baptismo nondum accepto, hos omnes supplicium damnationis incurrere, ex sacris litteris subtiliter argutando efficere conatus est.[46]) Ita quum Paulus (Rom. 5, 6) dixit, Christum mortuum pro impiis esse, hunc in modum argumentatur: impiorum nomine omnes, igitur infantes quoque comprehensos esse, idque non propter impie in vita commissa, sed propter vitiorum contagium a parentibus acceptum; quod quum auferri nisi per baptismum non possit, infantes non baptizatos haud secus ac homines impietate pollutos justitia divina damnari.[47]) Similiter ex Joh. 6, 51. 54 ("nisi manducaveritis carnem Filii et sanguinem ejus biberitis, vitam æternam non habebitis") argumentum hoc deducitur: salutem obtineri non posse propter peccata hominum sine usu sacramentorum; in parvulis igitur, qui a peccatis actualibus immunes sint, vitium originale saluti obstare, quod removeri sine baptismo nequeat.[48])

---

45) contr. Jul. VI. 29 ad 2 Cor. 5, 10. Op. imperf. c. Jul. I. 56: "condemnabuntur, si per alios non credant, quum per se ipsos non valent credere."

46) de anim. et orig. ejus II. 17. contr. duas epp. Pelag. I. 40. Op. imperf. c. Jul. III. 199. IV. 128.

47) de pecc. mer. et remiss. I. 23.

48) de pecc. mer. et rem. I. 34. III. 7. 8. — Infantibus tamen ita sine culpa sua damnatis sortem leniorem, nescio quo jure, in altera vita promisit: contr. Jul. V. 44: "Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum neque ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? quæ qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod iis ut nulli essent, quam

Denique, ut interpretationem Augustinianam in locis *de prædestinatione Sanctorum* breviter attingamus, utinam substitisset in eo, quod alicubi dixit (de dono persev. n. 47): "Si nulla est prædestinatio, non præsciuntur a Deo; *præsciuntur autem, hæc est igitur prædestinatio,* quam defendimus." Sed qui sæpissime ipse monuit, multa rationem nostram ita superare, ut judicium humanum interponi non debeat, in hac quæstione — difficili si qua unquam et ardua — ea excogitavit, quæ non tam ex litteris sacris hausisse quam ex ingenio suo supplevisse videtur. Provocavit quidem ad locos quosdam Paulinos (Rom. 8, 28. 9, 15. 16. 18. 21. Eph. 1, 3. Phil. 2, 13. 2 Tim. 1, 9 al.); sed — ut hoc taceam, quicquid de rebus conditionis externæ dictum sit, eum ad habitum animi internum atque possessionem salutis æternæ retulisse — neque rationem dicendi Orientalium, ab apostolo in formulis nonnullis adoptatam, temperandam curavit, neque intra fines ab apostolo sapienter positos ita sese continuit, ut longe ulterius non — cum magna certe modestiæ et

ut ibi essent, potius expediret." de pecc. mer. et remisse. I. 16. — Exemplum latronis, cui in cruce suspenso paradisum ipse Jesus promisit, Augustinum misere torquebat: "latro ille," inquit, "in cruce confessor, contra baptismatis sacramentum inter *martyres* computatur, qui suo sanguine baptizantur. Huc accedit, quod non incredibiliter dicitur, latronem juxta Dominum crucifixum *aquâ illâ, quæ de vulnere lateris ejus emicuit, tanquam sacratissimo baptismo fuisse perfusum(!)*; ut omittam, quod eum, antequam damnaretur, baptizatum non fuisse, nemo nostrûm novit, nemo convincit." de anim. et ejus orig. I. 11. II. 14. 16.

pietatis offensione — disputando progrederetur. Ex Apoc. 3, 11 ("tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam") probatum voluit, certum esse numerum electorum, neque augendum neque minuendum;[49]) neque electos à Deo esse, *quos* fideles et pios futuros esse Deus præviderit, sed electos esse, *ut* fidem et pietatem colerent;[50]) imo, qui prædestinati fuerint, eos per pessimam etiam vitam ad poenitentiam duci, neque salutis ullo modo jacturam facere posse. Reliquos omnes mortales ex massa quidem eadem fictos esse docuit, sed iræ Dei quodammodo devotos, ut non tam in suam quam in aliorum utilitatem nati fuerint; eos namque, sive quod Evangelium audiendi defuerit facultas, sive quod fidem habere non potuerint ob ætatem parvulam vel cordis obdurationem, ita damnationi destinatos esse, ut effugere nullo modo possint;[51]) quid! quod, si vel fidem habere potuerint, nihil iis prodesse.[52])

---

49) "si enim alius non est accepturus, *nisi* iste perdiderit, certus est numerus." de correpit. et grat. n. 39.

50) de prædest. Sanct. n. 36. 37: "non elegit nos, quia futuri eramus, sed ut essemus."

51) de correpit. et grat. n. 11-16. 37-40. n. 14: "Electi sunt, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atque præsciti; horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus." c. Jul. V. 14: "Ex numero electorum atque prædestinatorum etiam qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducantur ad poenitentiam; — ceteri autem mortales, qui ex isto numero non sunt, et ex eadem quidem massa ex qua et isti, sed vasa iræ facti sunt, ad utilitatem nascuntur istorum." de prædest. Sanct. n. 14. contr. duas epp. Pelag. II. 10-15. 22. IV. 16. de dono persev. n. 35. de div. quæst. I. 4-6.

52) de dono persev. n. 35: ad Joh. 12, 39 ("non poterant

Neque tamen licere injustitiam vel duritiem Dei accusare; quoniam ex duobus debitoribus æqualiter reis, si ab altero exigatur, alteri remittatur, quod pariter ab utroque debetur, quis injustum dicere creditorem audeat? [53]) imovero, ex tanta sortis hominum diversitate liberum gratiæ divinæ arbitrium melius cognosci, et beneficii magnitudinem animo gratiore accipi. [54])

Quæ quidem omnia ita, si quid video, disputata sunt, ut sensum humanitatis et fidei hilaritatem vehementer offendant, a simplicitate Evangelii vero, quæ solatii plena est, quam maxime aliena sint. In hac igitur læti nos maneamus, exemplo magni viri admoniti, ut eos fugiamus mysteriorum abyssos, qui vestigia introeuntium ubique exhibent, exeuntium nullum.

XXIX.

Interpretationes typicæ.

Vidimus in maxima allegoriarum varietate omnes fere in eo convenire, quod ad Christum singulæ tendunt et redeunt, neque in hoc labore nostrum ullis argutiarum artiumque ambagibus peper-

---

credere, quia dixit Esaias: excoecavit Deus oculos eorum"): "Neque illis profuit, quod poterant credere, qui prædestinati non erant a Deo, neque istis obfuisset, quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos coecos Deus illuminaret, et induratis cor lapideum vellet auferre."

53) contr. duas epp. Pelag. II. 14.

54) ibid n. 15: "non beneficium, quod quibusdam gratis tribuitur, appareret, nisi Deus, aliis ex eadem massa pariter reis justo supplicio condemnatis, quid utrisque deberetur ostenderet."

cisse. At in his tamen multa fluctuare et judicio lectorum relicta esse, sensit Augustinus neque ipse dissimulavit; certum enim esse docuit, sensum aliquem quemcunque mysticum non deesse, incertum vero, quis ille et qualis sit; quare plures explicandi rationes sæpius in medium ab eo propositas esse invenimus, ut eligendi libertas singulis relinqueretur. Simplicior autem, atque ut simplicior ita certior, ratio typorum Vet. Testamenti visa est, dum hominibus singulis singulisque hominum fatis, singulis legum rituumque institutis Christum adumbratum esse affirmavit, quo facilius apud homines futuros fidem aliquando haberet.[55])

Ita vero pietati successisse videmus ineptam aliquam sedulitatem, quæ, ex pia superstitione orta, in petulantiam profanam paulatim abiit; quoniam non contenti eo fuere quod evangelium docet, et docet historia cordato rationis oculo inspecta: religioni chr. viam esse per oeconomiam mosaicam munitam præparatamque, quum ævum messianum, oraculis propheticis adumbratum, in Jesu apparuerit, elementis doctrinarum vero eodem auctore integritas atque

---

[55]) Ser. 4 n. 8: "V. T. promissiones habebat temporales, sed significationes spirituales. Intendat caritas vestra. Si promissa est Judæis terra repromissionis, significat aliquid spiritaliter terra repromissionis; si promissa est Judæis civitas pacis Jerus., significat aliquid nomen civitatis Jerus.; si data est Judæis circumcisio carnis, significat aliquam spiritalem circumcisionem; si jussi sunt Judæi unum diem sabb. observare de septem diebus, significat spiritalem quietem, quæ non habet vesperam; si data sunt Judæis sacrificia carnalia, per victimas animalium significant sacrificia spiritalia."

vis plenior et sanctior accesserit. Sed per singula eundo dum singulis singula conferendo accommodare conati sunt, mira commenta finxerunt, quæ, a veritate historica prorsus aliena, non nisi ingeniis luxuriantibus arridere poterant, quin animos etiam distrahendo avocasse videntur a vera meditandi pietate, cui lusus et joci in rebus religiosis nauseam odiumque movent.

Hæc interpretatio ut liberius flueret, distinguendam esse in Christo docuit ipsam personam ejus et ecclesiam, utramque vero ita conjunctam, ut unum efficerent — caput videlicet et membra corporis separari non posse; [56]) quare, ubicunque verba augustiora prostarent, sive de uno sive de pluribus dicta essent, nihil obstare, quominus interpretatio ad Christum rediret; ita in Cantico Canticorum amores Christi et ecclesiæ mutuos prophetice cani. [57]) Homines autem, de quibus in V. T. ita narratio est, ut typos sive Christi sive ecclesiæ sive utriusque Augustino offerant, hi præcipui sunt:

Abel: Christus a Judæis occisus. Lib. de div. quæst. n. 2.

---

[56]) "Quum Chr. loquitur, aliquando ex persona solius capitis loquitur, quod est ipse Salvator, aliquando ex persona corporis sui, quod est S. ecclesia." Enarr. in Ps. 57 (58), 6. "Potest iste psalmus accipi ad personam Chri. alio modo, i. e. ut totus loquatur; totus dico cum corpore suo, cui caput est." l. l. 4, 9.

[57]) "Totus amores sanctos Chri. et ecclesiæ figurata locutione commendat et prophetica prænuntiat altitudine, quamvis sit ad intelligendum difficillimus." Specul. de Cant. (init.) de doctr. chr. II. 7. Cf. Cypr. Ep. 76.

Seth: (loco Abelis datus) Chr. resurgens. de civ. D. XV. 18.

Sem: Chr. nomine inclytus (שֵׁם) de civ. D. XVI. 2.

Saphet: Chr., in cujus domibus gentium multitudo habitat. ibid.

Cham: calidum hæreticorum genus. ibid.

Isaacus: (senex, oculis caligantibus): vetustas V. T., Judæis mentem non intelligentibus. — Idem Jacobo pro Esavo benedicens: Christianis loco Judæorum benedictum. Ser. 4 n. 11.

Jacobus: Judæi Christo prævalentes, ab eodem vero Judæis benedictnm (Gen. 32, 26). Quæst. in Gen. n. 104.

Josephus (in Ægyptum venditus): Chr. ad gentes transiens. — Idem in Ægypto exaltatus: Chr. post passionem glorificatus. Enarr. in Ps. 80 (81), 6.

Benjamin: Paulus apostolorum novissimus. Enarr. in Ps. 67 (68), 28.

Filia Jephthæ: ecclesia virgo. Quæst. in lib. Jud. 49, 26.

Saul: Judæi, persequentes Jesum. Enarr. in Ps. 51 (52), 1.[58])

---

[58]) Cf. inscriptionem Ps. 57 mi: "ne corrumpas, in tituli inscriptionem, quum fugeret a facie Saul in speluncam," cujus hæc exstat explicatio: "ne mutetur titulus (a Pilato cruci infixus), quum Judæis se subduxit, sepulcro in rupe conditus." Enarr. in l. l. Adde Ps. 58 (59), 1: "misit Saul, et custodivit domum ejus, ut eum interficeret;" de quibus A. ita commentatur: "Judæi posuere custodes ad sepulcrum Jesu, ut nomen resurrectionis ejus exstinguerent." Enarr. in l. l.

Davides: Christus. *Goliath:* diabolus. Enarr. in Ps. 33 (34), 4. 53 (54), 1.

Salomo: Chr., pacis auctor. Enarr. in Ps. 71 (72), 1. 126 (127), 1.

Jobus: ecclesia malis laborans. Annot. in Job. 29, 2.

Jonas: Chr. ex mortuis resuscitatus. de civ. D. XVIII. 44.

Accedunt alia sive poetice expressa, sive legibus instituta, sive historice narrata, quibus res christianas figurâ adumbratas esse certum evictumque ducit;[59]) ex multis pauca ponimus:

Deus ab opere creandi requiescens: Chr. in sepulcro quiescens. de Gen. ad litt. 4, 21.

Arca Noachi: ecclesia, et corpus Christi. Mensuræ ejus 300-60-30; sic corporis humani longitudo sexies tantum habet quantum latitudo, decies quantum altitudo (h. e. a dorso ad ventrem). *Ostium:* unde emanarunt sacramenta (aqua et sanguis). *Bicamerata:* Judæi et Gentiles. *Tricamerata:* fides, spes et caritas. de civ. D. XV. 26.[60])

Circumcisio: resurrectio Chr., quæ desideria carnalia aufert. (per cultellos petrinos, et Chr. petra — d. 8vo, Chr. autem resurrexit postridie sabbati — aufertur præputium h. e. superfluum, cum quo nati sumus). Tract. in Ev. Joh. 30, 5. Ser. 169, 3.

---

[59]) "Quæ in libris mosaicis jubendo et vetando scripta sunt, sunt sacramentorum velata mysteriis, quæ a populo christiano nunc non fiunt, sed tantummodo intelligendo requiruntur et tractantur." Specul. de Levit. præfat.

[60]) Cf. *Cypr.* Ep. 76. *Orig.* hom 2 in Gen.

Epulum paschale: mors Christi. (sanguine agni postes Judæorum signati, sanguine Christi frontes fidelium — abigitur exterminator h. e. diabolus). Tract. in Ev. Joh. 50, 2.

Lex Sinaitica (d. 50mo post epulum pasch.): demissio Spiritûs S. (d. 50mo post mortem Chr.). Quæst. in Exod. 70.

Fractio tabularum Legis (Exod. 32, 29): Vet. Testam. abolendum, Novum substituendum. Quæst. in Ex. 144.

Sanctum et Sanctum Sanctorum: Vet. Testam. foris, Novum intus. l. l. 112.

Cherubim, arcam obumbrantes seque invicem attendentes: duo foedera. l. l. 105.

Juvenca rufa (Num. 19, 2 ss.): caro Christi (rufa, propter passionem. feminea, propter infirmitatem carnalem). — *Pellis* ejus et carnes et sanguis comburenda cum stercore ejus: Substantia corporis, accedente contumelia plebis. — *Cinis* juvencæ: fama, quæ secuta est passionem et resurrectionem. Quæst. in Num. 33.

Agnus, in lacte matris non coquendus: Chr. infans ab Herode non trucidandus. Quæst. in Exod. 90.

Petra virgâ bis percussa: crux Christi, quia duo ligna composita efficiunt crucem. Quæst. in Num. 35.

Ita vero quum umbra Christi et figura mystice expressa nusquam non Augustino adesset, quid opus est monere, innumeros Veteris Testamenti locos ita

explicatos esse, ut de Jesu Christo, de adventu ejus in terram, de munere ejus, de virtutibus et rebus gestis, de passione et gloria singula prophetico spiritu prædicta fuerint. In hoc autem ita genio indulgebat, ut, sive quid de Deo poetice dictum esset, quod cum dignitate numinis minus congruere videbatur, [61]) sive de homine quid hyperbolice, ut naturæ et auctoritati humanæ nimium tribui videretur, [62]) hæc omnia ad Jesum, in quo divina humanis temperata, mox referret, indolis orationis verborumque

---

61) *Job.* 9, 32. 33. "Non es homo sicut ego, cui contradicam; utinam esset nobis arbiter!" ad quæ Aug.: "videtur blasphemare, nisi illum mediatorem Dei et hominum optare intelligatur, ut per eum alleget preces suas." Annot. ad Job. l. l. — *Job.* 16, 20: "nunc ecce in coelis est testis meus:" A.: "de Domino videtur dicere, quia nondum in terram descenderat." l. l. ad l. l. — *Ps.*47 (48), 6: "adscendit Deus in jubilatione." *A.* "admirati sunt gaudentes discipuli, videntes ire in coelum, quem planxerunt mortuum." Enarr. ad l. l. — *Ps.* 81 (82), 1: "Deus stetit in synagoga Deorum:" A.: "Chr. stetit inter Judæos, ex quibus secundum carnem natus." Enarr. ad l. l.

62) *Ps.* 118 (119), 99: "super omnes me docentes intellexi." A.: "agnosco eum, qui super omnes docentes se intellexit, quando, quum esset annorum XII, remansit puer Jesus in Jerusalem." Enarr. ad l. l. Ser. 22, 3. — *Ps.* 138 (139), 2: "tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam." A.: "sedit Dominus in passione, surrexit in resurrectione." Enarr. ad l. l. — Eodem modo per integrum psalmorum commentarium, quidquid de potestate principum dictum est, quidquid de virtute piorum hominum, de miseriis afflictorum, de gloria eorum, qui ex malis resurgunt, de Christo prophetice intelligitur.

nexûs nulla habita ratione. Neque minus duriter ea, quæ dicta hîc illic sunt de usu sermonis hominum, de Logo s. Christo explicata sunt, clave interpretationis ex prologo evangelii Johannis petita.[63])

XXX.

Habemus ita, si recte judico, exemplo Augustini confirmatum, quod omnis experientia docet: facilius esse, regulas bonas et salutares litteris construere quam usu sequi et constanter servare. Rei hermeneuticæ namque capita potiora ita vidimus ab Augustino tractata, ut plura quidem desiderentur, ea vero quæ adsunt adsensu et laude omnia fere probari debeant; in litteris exegeticis autem non tam bona malis, quam optima pessimis, egregia ineptis mixta sunt; ut nesciam, quod de Origene dictum est, an de Augustino potius dicendum sit: "ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus."[64])

Id vero ne proverbii magis quam veritatis causa dictum videatur, hæc paucis monenda erunt.

Mira Augustini erat ingenii profunditas, ardens et cordata pietas, ut animum ad ea, quæ intus quæque in sublimi sunt, totum conversum haberet; satis egisse se non prius arbitratus, quam sibi, usibus

---

[63]) *Ps.* 44 (45), 2: "eructavit cor meum verbum bonum." *A.*: "dixerat hoc Deus Pater de Verbo suo bono et benefico" — "dico opera mea:" A. "in Verbo (Christo) sunt omnia opera mea." — "lingua mea calamus scribæ:" A. "Verbum Dei (Christus) manet, non ut sonus transit." Enarr. ad l. l.

[64]) *Cassiodor.* de institut. div. litt. c. 1.

suis religiosis satisfactum esset, veritates ex sacro idearum fonte elicere, ad interna conscientiæ oracula revocare studio generoso annisus est. Hinc egregiæ multæ interpretationis virtutes ortæ sunt: sollicitudo religiosa, gravitas verecunda, pia sinceritas; quum litteras sacras fidei regulam, lucem pietatis, vitæ magistram positas esse sciret, neque igitur, nisi ad doctrinam et vitam usus redundaret, docto labori laudem pretiumque constare. Et quanta Nostri in vestigiis ad metam hancce dirigendis constantia erat! quanta in sententiis multis dogmaticis vel ethicis efferendis construendisque diligentia, sagacitas, sapientia vere christiana! ut non tam argutando dixeris eum intellexisse quid scripserint auctores sacri, quam, impetu interno ductum, quid senserint ipsum sensisse; ita in expositionibus nihil deest, nihil superest, nihil claudicat; cardinem rei acu quasi tetigit feriitque, ut veritate tibi persuasum, pietate te commotum, simplicitate delectatum sentias. — Atvero, in hominibus virtutum vitiorumque communis sæpe fons est. Sic Augustinus, quum, ut satisfaceret sibi, nulli meditationis labori pepercit, sæpe, nimium viribus confisus, ultra fines, qui positi mortalibus sunt, evolare conatus est; tum vero impatienter omnia egit, quidquid ingenio arridebat cupide arripiens, arreptum acri studio persequens; atque, dum mysteria recondere volebat, ad ambages verborum recurrere inque formularum subtilitatibus subsistere coactus est. Et hoc tamen ferri aliquatenus posset. Sed quum, animi ardore deceptus, nihil certius et evidentius putaret, quam theorematibus suis purum

evangelii aurum inclusum esse, intentatum nihil reliquit, ut testimonia ex ss. libris quocunque demum modo sibi pararet. Et quomodo non haberet! Rationes linguæ enim, quæ constantes et immutabiles arbitrium voluntatis, petulantiam ingenii, animi levitatem vinculis salutariter constringunt, Augustino parum valebant; ingenii vero subtilitas, disputandi dexteritas tanta erat, ut nihil non dialectice effici atque probari posset, inprimis quum ad imaginum etiam allegoriarumque umbras descendere haud dedignatus sit. Sic vero — nescio ipso et nolente — quoties non Sacræ Scripturæ vis illata, fucus impositus est!

Deinde vero, ut quis idoneus et probus aliorum interpres sit neque sua pro alienis venditet, maxime requiritur, ut sibi, ut ingenio, phantasiæ exuberanti temperare possit, aliorum autem cogitandi sentiendique rationem induere quasi et suam facere; quod nemo dixerit sine magna sobrietate animi et motu quodam virium singularum æquabili fieri posse. Sed hic ipse nemini magis quam Augustino defuisse videtur. Eximius quo naturâ valebat animi ardor et impetus tantum abest ut externis vitæ rationibus restingueretur vel temperaretur, ut majores indies vires acciperet: deerant accurata et diligentia juventutis studia, quibus quod nimium est componi justosque fines intra cohiberi solet; multis variisque vitæ casibus et gravissimis animi affectibus agitatus erat, quorum in meditationem religiosam magna plerumque vis est. Ita, ut ad hæc redeamus exempla — qui partem vitæ prope dimidiam non sine pu-

dore contritionis respicere possit, justo severius de natura hominis statuere, — qui mira rerum conversione ad poenitentiam non tam adductus quam tractus fuerit, singularem concipere fidem in decretum Dei homines nonnullos electos salvos faciendi, — virum denique, qui procellas et scopulos vitæ humanæ expertus, portum Evangelii teneat et tenere gaudeat, eo adduci, ut nullam omnino salutis spem iis, qui extra portum cursum instituant, relictam credat: in his nihil quidem est, quod movere admirationem possit, sed nihil etiam quod imitationem provocare debeat. In his omnibus enim quæstio non integra scriptoribus sacris ab Augustino commissa est, verum, quod sensus internus et experientia sui docere videbatur, testimoniis eorum confirmare cunctis viribus laboravit.

Denique sors ita ferebat, ut Augustinus inter disputationes continuas vehementer admodum actas vitam transigeret. Quamquam vero recte dicitur, controversiis et disceptationibus, ne vires animi torpescant, suam esse, si modus teneatur, utilitatem — at quis tamen fausta dixerit auguria, si interpres, pulvere palæstræ armorumque strepitu excitatus, sacras litteras accedat. Ita vero Augustinum non sibi meditantem, scribentem, agentem habemus, sed impetu hostili lacessitum, animo exasperatum, in multas partes distractum et disturbatum; quid itaque mirum, si, causam suam ubique agens, leges a se scriptas et signatas sæpe violaverit, si artibus dialecticis, ut adversarios confundat, nimium concesserit, effata librorum sacrorum torquendo cruciandoque in usus suos

converterit, dogmata denique ab una tantummodo parte munire ac defendere conatus sit. Sic quum optime moneret (contr. Gaudent. II. 1): "non hoc est *respondere*, quod est *non tacere*," ipse sæpius animo commotus ita non tacuit, ut non bene vel omnino non responderet.

Ita verissimum est, libros Augustini interpreti multum prodesse, sed ne magis noceant quam prosint, caute admodum, sano liberoque judicio adhibito, consulendos esse. Et in hoc ipso exemplum ejus, cum magna profecto utilitate nostra, clamando docet, monet, hortatur: in viris magnis vitia non minus quam virtutes nobis exemplo data et ante oculos posita esse. *Ταῦτα πάντα τύποι συνεβαίνον ἐκείνοις· ἐγράφη δὲ πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν.* 1 Cor. 10, 11.

Index

locorum Sacræ Scripturæ,
qui observationibus Augustini criticis vel exegeticis illustrati sunt.

Psalmi:

Psalmi:

Proverbia:

Ecclesiastes:

Lib. Jobi:

Addenda et Corrigenda.

P. 2 L. 10: se . . . . . . l. si.
— 4 — 16: dicent . . . . - dicant.
— 8 — 3: ornet . . . . . - ornat.
— 12 — 22: הול . . . . . - חול
— — — 33: add. Ser. 14: "Proverbium notum est *punicum*, quod latine vobis dicam, quia punice non omnes nostis." de pecc. mer. et rem. I. 24: "Optime *punici* Christiani baptismum nihil aliud quam Salutem (יְשׁוּעָה), et sacramentum corporis Christi nihil aliud quam Vitam (חַיָּה) vocant."
— 16 — 8: אֲבַר . . . . . - אֲמַר
— 25 — 23: prohibendis . . . - prohibendi.
— — — 27: מַעֲנֵחַ . . . . - פַּעֲנֵחַ.
— 31 — 21: et . . . . . . del.
— — — 26: ipse . . . . . . l. ipso.
— 42 — 13: libros alios . . alios - libri alii . . alii.
— 43 — 19: Ecclesiastes . . . - Ecclesiasticus.
— 51 — 21: videntur . . . . - videtur.
— 81 — 17: sensum . . . . . - sensûs.
— 86 — 6: Pamphilo . . . . - Pamphili.
— 87 — 19: græca . . . . . - latina.
— 89 — 12: at ut: . . . . . - ut ait.
— — — 31: 403 . . . . . . - 405.
— 94 — 3: usum subtiliorem - usus subtilior.

P. 95 L. 28: ide orationis . . l. ideo rationis.
— 102 — 7: alios . . . . . - aliis.
— 105 — 5: etiam . . . . . - aliam.
— 107 — 9: 13 . . . . . . - 10.
— 112 — 15: præerit . . . . - præierit.
— 121 — 16: justam . . . . - justum.
— 122 — 25: expressum . . . - expressam.
— 151 — 16: deberet . . . . - debere.
— 204 — 29: הֲחְתִּיָּה . . . - תֲחְתִּיָּה.
— 242 — 19: quod . . . . . - quid.

Quod in plagulis primis usus figuræ *mem finalis* in verbis hebræis a typographo neglectus est, a correctore autem justo serius observatus, benevole lector excuses.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 12 04 24 11 006 3